előbbiek megjelölik a forrásokat is, honnan kell a beigtatandó adatokat meríteni. De mi ez a Beta, mely 15-ször, mi az Epsilon mely 6-szor fordúl elő? mig a Deltanak az Absyrtusnak paginája van, azoknak nincs? Mi az az Alpha, index, melyre hasonlag hivatkozik?

Aligha tévedek, ha azt hiszem, hogy ez a fehérvári káptalani régi s egyszersmind állami levéltár szervezetének egyetlen fenmaradt töredéke. A mi a Betaban és Epsylonban van idézve, az mind oklevél, még pedig a Beta tulnyomólag belügyi és Miximiliánnal folytatott tárgyalásokat, az Epsilon pedig kizárólag a portai dolgokat tárgyalja.

Megerősiti e nézetet, hogy a Beta számjánál két helyen betű is van idézve (152 b. és 233 b.) mi alighanem azon betűt jelöli, melylyel az egy tárgyra tartozó okmányok a tárgyalás folyama alatt jelöltettek meg — s hogy az index-re is történik hivatkozás, mely csak levéltári indexet jelenthet. A paginás hivatkozás nem zárja ki ezen combinatiot, még akkor sem, ha az a levéltáron kivül eső dologra vonatkozik, mit nehéz eldönteni. De fájdalom, nehezit minden további combinálást azon körülmény, hogy a könyvkötő sokat lemetszett ezen aljegyzetek közűl, a megmaradtak egy része is e miatt csonka.

Egy következtetés azonban biztosan áll belőle: Szamosközy a fehérvári káptalanhoz conservatorrá neveztetvén ki, a Libri Quatuort újra akarta dolgozni, még pedig azon oklevelek alapján, melyek neki mint conservatornak hivatalos állásánál fogva rendelkezésére állottak. Valószinüleg akkor egyenlitette volna ki a három munka felosztási eltéréseit is: melyek abból származtak, hogy tervét, a mint a dolgozásban előhaladt, az anyagkészlethez mérten változ-

tatta akkép, hogy mig munkáját eleinte csak libe-rekre akarta osztani, utóbb a hol egy évnek anyag-ja nagyon is felhalmozódott a libereket már pentá-sokra s majd hebdomásokra osztotta — későbbre, az első könyvek újra dolgozása idejére halasztván az első libereknek pentásokra osztását.[1])

Mindezen okok tanúsága, ugy hiszem, a »Rerum Vngaricarum Libri IV.« szerzőségének kérdését tel-jesen eldöntötte, ha ugyan Szamosközynek saját kezű javításai e Codexben, magokban is nem volnának teljesen elegendők eldönteni e kérdést.

VII.

»Bethlenben — mondja Benkő — egész Sza-mosközy él, s misem veszett el belőle.«[2]) Talán, ha

---

[1]) A Pentasok elején irja : »Quae mali moles ... *ad caetera quae retulimus* summatim subjungemus.« De miért irta volna ezt, ha itt a 4-ik Pentas folytatásáról s nem uj munkáról volna szó ? Ily forma hi-vatkozás van a Hebdomas elején is : »Igitur Moses, quem post res perdi-tas ad Turcas transfugisse memoravimus ...« S hogy csakugyan volt ezen időközből Szamosközynek munkája, azt Bethlen ide vágó idézeteiből tudjuk, valamint az is kétségtelen, hogy a Libri Quatuor s a Pentasok közt levő hézag meg volt irva, mert Bethlen Farkas az 1597-ik évnél (IV. k. 37-ik l.) névszerint megemliti : »Stephanus vero Szamosközyus hanc rationem ejus rei assignat« stb. Az a mű, melynek neve történeti emlékeinkben fenmaradt : Stephani Szamosközy »*Rerum Ungaricarum Pentades VII.*« valóságban sohasem létezett, csak terv lehetett, mert az első könyvek sohasem voltak Pentasokra osztva, mert ha felteszszük is, hogy az 1600-ik év a VI-ik Pentas II—V liberjét az 1601-ik év a VII-ik Pentast foglalta magában, miután a VI-ik Hebdomas 1603-al kezdődik, le-hetlen, hogy ennek előzményei az 1602-ik év története, melyre a VI-ik Hebdomas elején hivatkozik is, egy maga 1—5 Hebdomast tett volna ki. Azt pedig, hogy ugyanazon év történeteit Pentasban is, Hebdomasban is feldolgozta volna, lehetlen feltennünk. Mind ezen ellenmondást kiegyen-liti azon föltevés, hogy elmaradt az utolsó simitó s a munkát végleg sajtó alá rendező kéz.

[2]) V-ik kötet előszava 17-ik l.

a puszta történeti tényekre szoritkozunk, igaza lehet Benkőnek : Bethlen iveket vett át belőle, még pedig változtatás nélkül.

És még is — nem él Bethlenben Szamosközy.

Bocskay historiographja olasz miveltségű, világot látott, sokat utazott, képzett ember volt — s az ő főérdeke épen abban áll, a mit Bethlen nem vett át. Olaszországi utja és tanulása roppant hatással volt rá, s ezt ő feltalálta otthon is a Báthoryak udvarában, hol olasz izlés és miveltség uralkodott. Innen van az, hogy munkája azon részében, melynek megirása az ő idejökre esik, catholicus sympathiájából nem csinál titkot. De ki olaszországi tartózkodásának ez egyetlen hatását találná fel benne, az nagyon tévedne, mert ez inkább az udvarnál uralkodó szellem rovására esik.

Az, egész irályában, felfogásában, leirásaiban nyilvánúl. Ő a humanista történetirókhoz tartozik : a Thuanusok, Joviusok iskolájához — s még is bármennyire követendő mintáknak tekinti is őket, de nem mindig követi. Igaz, ő is ad olyan dictiokat hősei szájába, melyek nem egyebek üres szóhalmazoknál, s ad olyan csata-rajzokat is, melyeket phantasiája teremtett — de ad kárpótlásúl oly sikerűlt korrajzokat, oly jól eltalált leirásokat, melyek közvetlenségükkel, igazságukkal hatnak. Ad érdekes párhuzamokat az európai és hazai viszonyok közt, melyek adataiknál fogva tanulságosak s annyival becsesebbek, mert más iróknál nem fordulnak elő. Sőt mivelődés-történeti képeket, helyrajzi vonásokat, statistikai adatokat is vegyit munkájába : oly dolgokat, melyeket másoknál hasztalan keresünk. S Bethlen épen ezen dolgokat mellőzte — azok nem

voltak politikai horderejű tények, s nem illettek be az ő tervének keretébe.

S ha Szamosközy már azért is, mert korának egyik legkiválóbb történetirója volt, megérdemelte hogy munkájának megmaradt töredékei a közhasználatnak átadassanak, s ekkép Bocskay végrendeleti óhajtása valahára teljesedésbe menjen — fön leirt tulajdonai forrásaink közt kiváló helyet biztositanak neki.

VIII.

Ezek után kevés mondandóm van még a fönmaradt Codexekről.

A Bécsben levő Kollár-féle Codex egy diszes kötetbe van kötve, ellátva Kollár monogrammjával. A Pesten levő Pray-féle Codex ennek folytatása, de még amannál is jobban körűl van nyírva. Ezek az eredetiek. S a jelen kiadásban szorosan ezekhez ragaszkodtam.[1])

A bécsi Kollár-féle Codexről 1812-ben másolatot vett gróf Teleki Sámuel, még pedig nehány jelentéktelen irásbeli hibát s leirási eltérést leszámítva, correct és gondos másolatot. A Rerum Vng. Lib. IV-nek ez egyen kivűl több másolata nincs.

A Pentásoknak egy a jelen században készűlt másolata megvan Kolozsvártt az erdélyi Muzeumegylet birtokában s ez, ha nem is teljesen correct:

---

[1]) Lehetetlen e helyen szives köszönetemet nem fejezni ki Károlyi Árpád urnak, ki Bécsben a titkos levéltárban levő eredeti példánynyal összehasonlitá a javitási iveket s ez által lehetővé tette a pontos criticai kiadást, továbbá Árpeth lovag úrnak, a titkos levéltár igazgatójának s Fiedler aligazgató urnak, kik segédkezet nyujtottak az eredeti példány feltalálására s azt szives készséggel heteken át rendelkezésünkre adták.

de a többi közt leginkább használható. Magában foglalja az 5-ik Pentast egészen, a 6-ik I. könyvének egy részét: de a jelen kiadás 372-ik lapján az »Itaque ubi domestica . . .« szavaktól elkezdve végig hiányzik. Van két kötetben, 4-edrét. Fő becsét teszi, hogy Kemény megjelölte a helyeket, melyek szórul szóra megegyeznek a Bethlen által átvett helyekkel.

A többi Codexek kivétel nélkül mind használhatlan hibás másolatok[2]) a mult századból. Ilyenek:

a) a muzeumi, mely az V-ik Pentast, a VI. első könyvet s a Hebdomasokat foglalja magában;

b) az erdélyi muzeumi, mely ugyanezeket foglalja magában;

c) az esztergomi;

d) egy más nemzeti muzeumi példány a Hebdomasok másolata;

e) a marosvásárhelyi Teleki könyvtárbeli, mely az V-ik Pentas 4-ik és 5-ik könyvét, a VI-ik Pentas 1-ső könyvének meglevő töredékét, továbbá a Hebdomasokat foglalja magában,

f) ugyanez az Akadémia könyvtárában.

g) ugyanez a marosvásárhelyi főisk. könyvtárában.

Azonban megjegyzendő, hogy mindezek egy és ugyanazon példányról vett másolatok — mert

---

[2]) Elégnek tartok egyetlen példát idézni, megjegyezvén azonban, hogy olyan minden lapon bőven találtatik: ezen helyet pl. (194-ik l.) Michael . . . ad Cladovam Transistrianae ripae arcem . . . revertit« igy adja minden mult századi másolat: »Michael tandem ad Cladovam Transilvaniae ripae arcem . . . revertit.« Aztán »offucium« h. »officium«, »inermem« h. »in crimen,« »Namen« h. »numen,« »damnatis« h. »depositis« sat. a végetlenségig folytathatnók. Ezeknek a másolatoknak egyetlen értelmes correct lapja sincs.

ugyanazon hibák rendesen mindenikben előfordulnak.

Fogja-e valaha más szerencsésebb buvár a többi hiányzó részeket feltalálni? óhajtom ugyan, de alig merem remélni. Mert minden arra mutat, hogy Szamosközy e műveiből más példány nem maradt fön.

Budapest, 1876. máj. 4-én.

Szilágyi Sándor.

SZAMOSKÖZY ISTVÁN

TÖRTÉNETI MARADVÁNYAI.

I. KÖTET.

(1566—1586.)

RERVM VNGARICARVM

LIBER PRIMVS.

Oldaljegyzet egy későbbi kéztől: In quo referuntur acta ab A-o 1558 usque ad Annum 1570.

Alább ugyanazon kézzel: toto autem hoc Volumine exponuntur gesta ad Annum 1586.

Quo tempore Sulimanus, Turcarum Imperator, septima eademque ultima in Vngariam expeditione Zigetum et Julam oppugnabat, per idem omnino tempus Joannes quoque secundus, Transiluaniae Princeps Turcarum Tartarorumque adiutus copijs, quas à Sulimano impetrauerat, Tokaium arcem in ditione magis quàm parte Transiluanici imperij sitam, acerrima obsidione cinxerat. Ita enim putabat fore, ut cum tot eodem tempore, Vngaricae ditionis arces oppugnarentur, Maximilianus Caesar, auxilio ijs omnibus ferendo par esse non posset. Nam quantum copias diuideret, tantum de uiribus diminueret: et ueluti fluuius in multos distractus extenuatusque riuos, sic ille uires dispertiendo se ipso imbecilliorem se redderet adeoque exarmaret; proinde etiam aequiorem hosti locum ad certamen esset daturus. Ita cum omnes conaretur iuuare, nullius compos uoti, copias quas haberet, in summum discrimen adduceret. Et Maximilianus quidem, ubi primum imperium inijt, totus auersus à belli studijs, dum consilio magis quàm uiribus rempublicam gubernare Byzantinique tyranni animum munere tributi conciliare sibi annititur, rem Vngarorum paene praecipitauit; prorsus ut nec pace, quam omni studio et diligentia exquirebat, frui; nec bello propulsando par esse potuerit. Nam Ferdinan-

Ferdinandi mors.

dus missis oratoribus, ante exscidium Zigetanae Julanaeque arcis, cum inducias magis quàm pacem cum Sulimano in quinquennium renouasset, nondum peractis induciarum temporibus ex humanis excessit, anno eius saeculi sexagesimo quarto, totamque imperij gubernandi molem Maximilianus filius excepit. Et pactae quidem à Ferdinando pacis foederi statum iri utrimque magna spes fuerat, nisi Maximilianus Caesar, foedus quod una cum Ferdinando extinctum esse putabatur, nouis actionibus apud Sulimanum constabilire neglexisset. Sed et tributum centum millium florenum, Renensis taxationis, quâ depensâ summa quotannis, pacem à Sulimanno mercari Ferdinandus consuesuerat, anno qui Zigetanam cladem praecessit, Maximilianus pendere praetermiserat. Quae res Sulimano, gloriae bellique auido, ad nouam expeditionem, quae illi nouissima fuit, exornandam, occasionem suggessit.

Causae rumptarum inducarum.)

Accedebat huc et illud, quod Melchior Balassa, è Transiluania ad Ferdinandum transfuga, et Georgius Bebecus, Ferdinandinarum olim partium uir princeps, potentes ambo opibus et honoribus, sed turbulento homines ingenio, omnes pacis nexus seditiosa discordia subinde conuellebant. Quia uero horum impotentia, praeter alias caussas, Sulimanianae expeditionis huius, praecipua fax et incitamentum fuit, libet paullo altius funestae cladis auctores repetere.

Sulimaniani belli postremi caussae

Regina Isabella, anno eius saeculi quinquagesimo primo Georgij Cardinalis et Ferdinandi Caesaris artibus, regno Transiluaniae exclusa, quinquennio post, ubi se speciosis promissis circumuentam deceptamque esse sensit, exul una cum filio Joanne,

è Polonia, quò se ad Bonam matrem receperat, Solimani indulgentiâ regnique Transiluanici unanimi consensu restituta est. Amissâ enim hoc interregno Lippâ, Temesuaro, Jeno (*igy*), totaque ad Danubium usque Transiluanae ditionis regione, experientiâ compertum est, quantum spei in Ferdinandi auxiliaribus armis esset reponenda. Regina reuersa liberiorem nacta dominandi campum, multam statim conquerendi ansam primoribus in republica uiris de se praebuit. Sed maxime proceres consiliarij, in quos post Reginam, uniuersa regni cura incumbebat, insanos illius sumptus damnabant, quod uectigalia melioribus usibus destinata, in res futiles uanasque dissiparet, adeoque propter immensum luxum et prodigentiam, uix aerarij exhausti angustiam quicquam pensi haberet. Hoc modo dum congestis opibus fiscus exhauriretur, totum malum à Regina in regnum redundaret. Jam uero cum omnis profusionis finis sit rapacitas, exhausto exinanitoque aerario, ad nobilium opes, oculos pariter et animum adiecerat, quos confictis criminibus damnatos, quò eorum bona inuolare posset, clam ad necem Regina destinabat.

Proceres Triumuiratum inscia Regina moliuntur.

His administrandis dum in hunc modum animum intendit, è proceribus tres potentia et diuitijs illustres, Franciscus Bebecus, Franciscus item et Antonius Kendij fratres, sibi triumuiratus imperium caeperunt clam moliri, optimo quidem fortassis et salutari consilio, si modo aequè optimus euentus fuisset consecutus. Et Bebecus quidem prae alijs confidentior, Byzantium profectus, expositis Sulimano ordine, sub foemina duce quanto malo regnum fluctuaret, eo rem multa contentione uerborumque illecebris deduxit, ut Sulimanus Gubernatoris titulo Bebecum coho-

nestans, summam rei regnique administrandi, secundum post Principem adolescentem locum, exclusâ ab omni regimine Reginâ, illi traderet: addito insuper Ciauzio, qui eum in prouinciam reduceret, solennique ritu ad tractandam rempublicam initiaret. Simul et ad Moldauum ac Transalpinum Valachiae utriusque regulos litteras dat, quibus mandat, ut quandocumque Bebecus eorum operam ad muneris sui dominatum stabiliendum deposceret, e uestigio praesto illi essent auxilio. Ita Bebecus compos uoti reuersurus, in Valachia primum substitit, non ausus se Reginae protinus committere, nisi prius exploratis eorum animis, quorum consilijs rem tanti momenti aggressus fuerat. Non ab re enim uerebatur, Reginam gloriae et dominandi auidam, difficile passum iri se in ordinem redigi, solioque deturbatam in imis subsellijs haerere, quae res illam primum mox et filium haud dubie in propinquum adductura esset discrimen. Ergo Regina, tot utriusque fortunae casibus ad simulandum et dissimulandum erudita, obuiam Bebeco non sine muneribus è suis aliquot praemittit, qui illum omni suspicione deposita, ad capessendum magistratum reuocent. Nuncians, sibi gratum esse officium, quo filium et patriam tanto pietatis affectu complecteretur, ut difficilem administratu prouinciam, totque turbis obnoxiam, non consilio modo, sed et armis, si ita usus poscat, tuendam defendendamque suscepisset. Se orbatam uiro, imbellemque foeminam, tam filium regium puerum, tanto adhuc gerendo oneri imparem, libenter amplexuros eius in se totamque rempublicam studium et diligentiam.

Jam uero suspicio erat, cum Bebeco et Kendijs, alios quoque è primaria Nobilitate in idem facinus

conspirasse, in his Melehiorem Balassa rei militaris principem uirum, quem Regina spe ingentium munerum, arcisque Vech peramplae ditionis, quae Francisci Kendij erat, possessione, in suas partes traduxit, supplicioque reliquorum praefecit; quos quia eandem quam Georgius Monachus per speciem tutelae innouare ausi essent perfidiam, e medio tollendos destinauerat. Erat Reginae arcanorum consiliorum conscius, Stanislaus Nisoczkius Polonus natione, qui Reginam restitantem et cunctantem ad facinus maturandum instigasse fertur; daret operam ne morâ propositum corrumperet; rem esse praeproperae executionis, uerendumque esse, ne insidiae, temporis dilatione apertae, in auctoris exitium, ut saepe fit, uerterent. Ergo Regina nil cunctata Bebecum et Kendios fratres litteris Albam euocat, simulata grauioris caussae deliberatione. Qui seu recti animi conscientia freti, seu ueriti ne tergiuersatione clandestina eorum consilia in suspicionem uenirent, ad mandatum Reginae affuerunt. Moxque Balassa, partium paullo ante dux et auctor, nunc hostis, subornatis in singulos percussoribus, summo diluculo in aedibus, unumquemque illorum curat trucidandum: militibus Reginae praetorianis, ne quis tumultus excitaretur, ad aream palatij armatis consistentibus. Signum caedis simul patrandae, tormentum fuit magno fragore explosum. Caedes facta, primo die Septembris, anno superioris*) saeculi, quinquagesimo octauo. Post haec Regina, uerita nobilitatis offensionem, quod indicta caussa, uiros tam illustres multaque cognatione, affinitate, clientelisque potentes trucidari iussisset, Albam indicto conuentu, omnem facti rationem per Joannem Zalancium exposuit, pollicitaque est se

1558.

(*) *Pray jegyzete e szónál:* Igí-tur auctor scripsit XVII. seculo.)

non in auribus dumtaxat, sed et in oculis omnium, eorum scelera defixuram esse. Qui, cum nulli essent qui crimen diluerent, ueriti inuidiam, uarijs criminibus perduellionis sunt damnati. In his Bebecus, eo maxime maiestatis accusatus, quod pixidem ueneno refertam Constantinopoli attulisse diceretur, quo ad tollendum cum matre adolescentem Principem usurus esset. Idque non coniecturâ, sed oculis et manibus teneri narrabatur. Hoc modo omnia bona damnatorum proscripta publicataque sunt, iure uel iniuria non satis liquet, certe locum ampliationi superfuisse in obscuro non est. Quapropter Regina ob tantum facinus ausum, multorum inuidia quod uixit, laborauit, et mox anno uertente, eodem poene tempore, quo illos mactauit, ex humanis decessit.

Georgius Bebecus ad Ferdinandum deficit.

At Georgius Bebecus, Francisci filius, caedem paternam, et proscripta bona, tum uero tantae infamiae notam non ferens, ad Ferdinandum paucis post diebus defecit. Melchiori Balassae, sociorum et Reginae proditori, ne idem quod Bebecus tentaret, summa militaris imperij a Regina est tradita, arcemque Vech damnatorum plurima bona perfidiae praemium accepit, non diu tamen in officio permansurus. Nam cum Regina eam maxime partem sui imperij, quae Transiluaniae in Vngaria adiacet, a Germanorum Ferdinandinarumque partium militibus tutam defensamque uellet, Balassam uti rei militaris callentissimum ducem, ei parti Vngariae cum imperio praefecit. Ne uero opportunus eius administrationi locus deesset, opidum Zatmarum, quod amnis Sami (*kijavitva:* Samusii) circumplexu, uelut insulari praesidio munitur, ad habitandum illi delegit: Christophero et Stephano Batorio fratribus, in quorum ditione praeter opidum

arx ipsa erat eius petitioni assentientibus. Adiectum quoque est Balassae imperio Riuulum Dominorum, opidum argentaria fodina nobile, quod olim Reges Vngariae uxoribus suis ad mundum muliebrem comparandum assignare fuerant soliti, unde et opido nomen. Verum Balassa dum Zatmari degit, uulpinandum amplius ratus, ex hospite hostis factus est. Nam semel atque iterum, captata occasione, in arcem, quae praesidio Batoriorum tenebatur, impetrata uenia immissus est, nihil mali suspicantibus portarum praefectis, praesertim quod Batorijs cum Balassa, non modo necessitudo, sed et non usque adeo altè repetita intercederet cognatio. Hoc modo Balassa repetito identidem ingressu, cum iam assuetudine intrandi ianitores insidijs obnoxios fecisset, derepente exclusis eiectisque Batoriorum praesidijs per summam fraudem arcem occupat. Qua iniuria Batorij fratres exacerbati, graui querella, Reginae perfidiam Balassae exponunt, qui accitus ac castellum restituere iussus, dum diem de die prolatat, uir iampridem minus secundae famae, et cothurno uersatilior, ad Ferdinandum coepit cogitare. Quod antequam exsequatur, Kisuardam arcem, in Tibisci fluminis effusam late lacunam insinuatam, expugnandum constituit, cuius arcis accessione ditionem suam locupletatam iri sperabat. Ibi dum frustra operam nauat, Emericus Telekesius, Ferdinandi partium dux, eiusque regionis Vngariae administrator, contracto repente milite, illum ab obsidione retro signa uertere coëgit. Nec his contentus Balassa, aliud Batoriae ditionis castellum Ziner per fraudem intercipit. Nam cum a Batoriae stirpis adolescente, Sigismundi filio, qui arce potiebatur, impetrasset, ut in his rerum turbis, quae sibi è

Nagy-Bánya unde Riuulus Dominorum dicitur

Balassa versipelli. publicam tranquillitatem turbat.

(Későbbi kézzel:) Arcem Sathmár occupat.

(Egy későbbi kéz oldaljegyzete:) Balassa Ziner castellum fraude capit.

domestica supellectili cariora essent, liceret bona eius uenia in arcem inferre, ille onustas saxis arcas simulato magno auri argentique pondere, in arcem inuexit. Mox uisendi pseudothesauri studio, dum subinde ingressum iterat, adolescentis praesidia muris deijcit, suaque illis imponit, hero quamprimum excedere iusso. Dum ita Balassa futuri belli ingentisque discordiae fundamenta iacit, nihil adhuc Transiluanis de eius transfugio uel famae uel suspicionis increbuerat; tanta dissimulatione propositum premebat ueterator. Proinde ut famosiorem colophonem nequitiae imponeret, maioremque stomachum Transilvanis faceret, à Michaele Chiakio cancellario, decem millia tallerûm in stipendium militum impetrat, quod iamdiu debitum, dissoluendum esse urgebat, in omnia praesidia in partibus Vngariae, militibus uacua, in aduersariorum potestatem redacta uellent. Ita summa pecuniae magna fraude impetrata, in priuatos usus conuertit, unaque ad Ferdinandum transijt: Zatmar aliarumque arcium, quas imperio regebat, potestatem à Joanne Principe secum simul ad partes Ferdinandi transferens. Quae res magnorum postea malorum caussa exstitit.

(*Későbbi kéz szél-jegyzete:*) Idem Decem Millia talerorum a Czakio obtinet.

Balassa ad Ferdinandum defecit.

Haec dum ita parum secunda sua fama Balassa gerit, Georgius Bebecus interea in Vngaria à Turcis captus est. Erat Franciscus cognomento Toeroekus, qui Bebeci quopiam facto, exercitaque in se seueritate offensus, ad Hamzam Begum Filekiensem, eiusque impia sacra transierat. Verum postea ad mentem reuocatus, ac nouo facinore, prius transfugium redemturus, Bebeco per litteras renunciandum curat, se Hamzam Begúm in eius potestatem traditurum, si modo saltem cum non usque adeo multa suorum

Georgius Bebecus á Turcis intercipitur.

manu, in insidias, quo Turcas esset deducturus egrederetur. Ita ab Hamza clam expeditione adornata, cum exeunti, multa (*igy*) praeter spem voluntariorum Turcarum manus forte adiunxisset, Toeroekus Bebeko iterum renunciat, (in quem nequaquam subdolum animum gerebat) Hamzae tantam Turcarum adiunctam esse cohortem, ut nisi in tutum recedat, par his sustinendis esse non possit. Sed Bebecus magis ab animi magnitudine quam milite paratus, ne ob timoris suspicionem animum submittere, militareque dedecus admittere uideretur, nihil ab incoepto destitit. Ita dum temeritatem suam pro duce habet, Bebecus in insidias pertractus immoderati animi poenas dedit. Magna enim clade affectus, ipse captus cum Michaële Sarkoezio et ad Sulimanum est missus. Casparus Magochi magna postea pecunia se redemit. Cum autem Bebecus iam biennium dira Turcarum seruitute premeretur, Ferdinandum et Maximilianum summis extremisque precibus obtestatus est, darent operam, studioque cura et auctoritate apud Sulimanum perficerent, quo in libertatem restitueretur. Id cum illos uel negligere uel nolle Bebecus sensisset, ac iam poene deplorata spe salutis laboraret, ad Joannem Secundum confugit. Is precibus precioque redemptum ampleque locupletatum, in partem regni Transsiluanici collocauit, benemeritoque Principi Bebecus, quoad uixit, fidelis fuit.

Hoc modo Balassa infami transfugio ad Maximilianum, Bebecus minore cum inuidia ad Joannem deficientes dum uterque quietem fimitimarum regionum intempestiuis rapinis uexant exagitantque, ita animos magnorum Principum, per se satis in mutuum odium exasperatos, in bellum acuerunt, ut tandem-

non nisi exitiali cum clade Vngariae motus componi potuerit. Et quidem speciosas magis quam verisimiles tumultuandi rationes, uterque suae libidini praetendebant. Balassa: quod opida et arces, quae Transiluani prius imperij erant, sua ad Maximilianum defectione, una etiam ius earum transtulisse secum existimaret. Bebecus: quod Joannis precibus è Turcarum captiuitate in libertatem assertus, ita optimè de se merito Principi obsequium suum uitamque addixisset, ut deficere ab eo sine ingenti ingrati animi et sceleris nota, haudquaquam aequum honestumque duceret. Sicut autem Joanni sempiterno officio deuinctus erat, salutisque suae uindicem summa religione colebat, ita à Maximiliano, temporis rerumque necessitate diuulsus, suum maiorumque patrimonium, quod in Cassouiana regione amplum possidebat, iure retinebat; partesque suae ditionis bello abalienatas, quia legibus non poterat, bello repetebat. Ac dum honestis nominibus pro sua uterque potentia dimicant publicum bonum simulantes, rempublicam strennuè malis inuoluebant. Ita siquidem natura comparatum est, ut feroci homines ingenio, dum affectibus plus aequo indulgent, non se solum, sed salutem etiam et tranquilitatem publicam in discrimen uocare non dubitent. Quemadmodum autem laedendi quam laesa restituendi, uulnerandi quam sanandi, dissipandi quam componendi, procliuior cuique improbo est uia: ita bellum turbulentis quibusque ac seditiosis hominibus facile est mouere, motum uix tandem componi, nec, nisi cum alteruter uictor uelit, deponi potest. Sic fiebat, ut hi quoque tumultum ex tumultu, bellum ex bello serentes, opinione maius incendium excitarent, unde

Turbulenti procers omnium discidiorum auctores.

postea ad concordiam difficilis pateret regressus. Et Balassa quidem, mobili uir ingenio, Zatmaro in potestatem redacta, ferociorem animum induens, non cessabat pro libidine in finibus omnia miscere, praedas conuehere, castella erigere, omne denique animi propositum pertinacius urgere. Quod Joanni minimè e re sua uisum est negligere. Ac Zatmarum maxime qua ratione posset recuperari, intentissima cogitatione perquirebat. Sed ostendit fortuna uiam qua Balassae impotentis hominis iniuriam, in auctoris caput reuolueret. Proinde nec Transiluanis suus defuit Annibal. Zatmarum eadem qua ille ceperat arte, amisit. Cum enim Balassa Zatmaro egressus, ad diripiendam, conuasandamque uindemiam Tokaiensem animum intendisset, Stephanus Batorius eius consilio intellecto, opidum quod ille nuper per dolum inuolarat, eo absente derepente per uim recepit. Vespertino enim crepusculo, dum armenta è pascuis gregatim in opidum remearent, milites Batoriani armis et animis instructi, denso excitato puluere uaccarum confertis agminibus se immiscuere, ac nil hostile suspicantibus praesidiarijs, ubi arci appropinquatum est, milites primum in portas, mox quaquauersum repentina impressione, quà cuique promptum expeditumque erat, in arcem irrupere. Capta est uxor Balassae cum liberis, ad Joannemque in Transiluaniam missa. Praeter haec magna uis pecuniae, preciosaque rerum uariarum supellex inuenta, quam ille inuidiosis iuxta et maliciosis artibus ex aliorum imbecilliorum spolijs accumulauerat. Ita Balassa dedit malum et accepit, Dijsque ac hominibus approbantibus, talionem, quam meritus erat, subijt. Nec mora Riuulum quoque dominarum receptum.

Stephanus Batorius Zatmarum recipit.

Joannes Princeps Ferdinandinos bello persequitur.

Quo rerum successu Joannes excitatus nouum bellum conflat. Et quia superiore anno, duce Francisco Nemethio, collatis cum Caesarianis signis, magnam cladem ad Hadadum acceperat, inde initium belli faciundum esse duxit, ut ubi eius cladis ignominia sibi inussa fuerat, ibidem eam re melius gesta deleret. Nec Caesarianos consilium Joannis latuit. Quapropter Matthiam Zenniesium uirum fortem et nobilem, praesidio arci cum ualida ueteranorum manu mittunt. Quem Batorius Varadino, cui cum imperio praefectus erat cum ducentis equitibus, peditibus quinquaginta agressus, fudit fugauitque, Matthiâ ipso in Hadad, quo missus erat, fugâ illapso. Qua re intellecta Joannes, nil cunctatus, totam belli molem eo conuertit, arcemque expugnauit, praesidiarijs partim interfectis, partim captis. In his Matthias in custodiam traditus, quem tamen post, cum frustra Batorius in Joannis partes trahere conatus esset, ultro dimisit. Hinc Kis-Vardam ductum, de qua cum uidua, Stephani et Michaëlis Vardensium pupillorum matre, quae arcem habebat, ita conuentum est, ut mediam se inter utrumque imperium gereret, neutri parti infesta. Post haec Atja et Kouaszo Castella quorum illud Ladislai Bidij, hoc Stephani Tompae imperio parebat, à Joanne capta sunt, quae superiore anno Franciscus Zaïus et Melchior Balassa Ferdinandi partium duces, per uim occupauerant. Ne uero amplius aduersarijs ea latibulo essent, funditus exscissa sunt. Mox et Ecied, Nicolai Batorij arx, in medijs Crasznae amnis paludibus, sita, in easdem quas Kis-Várda condiciones redacta est. Eodemque impetu belli Rosal, Kunorum nobilium ditio, Halmi, Sziner, quod Balassa nuperrimè per

fraudem interceperat, Valco, Bator opidum, unde Batoriorum Principum uetus cognomen; Szent-Marton, a diuo Martino tutelari patrono denominatum; Eszen ad Tibiscum situm, Francisci Ciapi castellum; aliaque eius Vngariae tractus munita loca, in potestatem Joannis uenere. Tamque feliciter eius autumni commoditas Joannis uictoriae suffragata est, ut ad Cassouiam usque metropolim, omnem eius Vngariae tractum in potestatem redegerit. Dum hoc modo Joannes acceptam a Balassa iniuriam, continentemque eius rapinam cum summa perfidia coniunctam ultum cupit, omnes capitales inimicitiae, quae antea inter ambos Principes intus in animis inclusae erant in apertum erupere. Nec prius eae sedari potuerunt, quam Sulimanus tertius inter litigantes, magna cum Vngariae pernicie digladiantibus superueniret.

Ferdinandus Caesar moritur. 1564. (jul. 25.)

Sub id tempus, cum Transiluania et Vngaria his dissidijs conuellitur, Ferdinandus Caesar ex humanis decessit, anno eius sęculi 64, VIII. Kalendas Augusti. Princeps, si suo, non aliorum ingenio fuisset obsecutus, pacificus, et sacris magis, quam sceptris idoneus. Successit illi in imperio regnorumque possessione Maximilianus filiorum maximus. Hic inceptam antea bellorum tragoediam excepit, memorabilique catastropha finijt. Dolebat illi inprimis quod tantos Joannes Princeps in Vngaria progressus fecisset. Proinde ad crescentem illius fortunam compescendam, Lazarum Suendium Germanum, et Andream Batorium Vngarum duces in Vngariam designat, quibus summam militaris imperij cum imperio tradit. Initium belli a Tokaio, Transiluani imperij munitissimo castro, quod Nonis Februarij obsessum est, saeua rigentique bruma. Tokaï ad confluentiam Tibisci et

Lazarus Suendius in Vngariam legatus, Tokaium arcem capit. (*Mádkézzel:*) 1565. (Febr. 5.)

Bodrogi fluminum situm est. Pars arcis, quae opidum quatuor poene stadijs remotum spectat, fossa a continente dirempta est, quam fluuialis Bodrogi aqua implet. Arcis praefectus cum mille quingentis Franciscus Némethius insignis dux, Melchioris Balassae sororius. Missa sunt Sarospatako à Gabriele Perennio, Petri filio, auxilia equites CCCC, pedites CCM et quatuor tormenta maiora. A Nicolao Batorio ab Ecied equites CC. tormenta duo muralia. Arci Tokaio mons excelsus ad mille passus imminet uineis consitus, e cuius accliui latere pilae tormentorum in arcem uibrari possunt. Obsessis exitio fuit Tibisci et Bodrogi conglaciatus amnis, tantorigore pertinax, ut onustis plaustris transmittendis par esset. Haec opportunitas dirutis à flumine propugnaculis peruium impressioni iter praebuit. In primo impetu cum muris successum esset, sexcenti ex oppugnantibus desiderati. Quos postea altera quoque clades excepit : nam dum cataphracti ferro onusti globo facto glaciei parum solidae temere se committunt, fatiscente fluuiatili pauimento, repente Tibisci uorágine ad CCC hausti, periere. Tandem Nemethio plumbeae pilulae ictu sublato, deditio facta his condicionibus, ut ducem militari pompa, quo uisum esset, efferrent, utque armatis exire liceret. Corpus Némethij ducis Zent Jobum (quod opidum Abbatiam Regiae dexterae, Bonfinius uerbi significationem secutus interpretatur) delatum ac uili sacello conditum est. Hinc et Zerench, Castellum ipsius Nemethij, nulla mora captum.

Haec hieme gesta. Vere nouo, nihil intermisso uictoriae ardore, Zatmarum Suendius occupat, tumultuarique opera instaurat. Nam Joannes disijciendum funditusque euertendum curauerat. Mox

eodem belli impetu Riuulum quoque Dominarum in potestatem redigit. Neque his contentus Erdoedum Dragfiae familiae patrimonium, quod Georgius Batorius, tutorio iure, Casparis Dragfij uidua uxore ducta obtinebat, postea autem pupillo mortuo, omne ius arcis ad se transtulerat, ui capit, et luculenta praeda inuenta diripit.

Georgius Bebecus e Turcarum captiuitate restituitur.

Sub id tempus Caspar Bebecus a Sulimano, ad quem orator à Joanne fuerat missus, reuersus, Georgium Bebecum captiuum e vinculis reduxit, ac Joannis animum spe auxilij Sulimani onerauit. Cuius fiducia ille omnem cum Maximiliano constituendae pacis nexum reijciens, et in spem magnam recuperandae Vngariae erectus, precaria Turcarum auxilia aduersus Suendium corrogauit. Ad quem Hamza Begus cum ualida manu aduenit. Et Graeciae Beglerbegus decem millia delectorum militum misit. Quibus instructus Joannes Erdoedum, quod Suendius occupauerat, ducit. Vbi praeter mille Germanos duce Christoforo Lambergio Carinthio, spectatae virtutis uiro, praesidij praefecto, erant in arce insuper Vngari Franciscus Baïus, Joannes Granius, Nicolaus Zelemirius, nobilissimi et magni animi uiri: ad quos falsis hostium excubijs, centum et quinquaginta alij Vngari ingressi sunt. Ita dum Joannes dies noctesque iam quadragesimum diem uarijs artibus oppugnationi instat, Germani tandem frustra renitentibus Vngaris, quibus Turcarum fides suspecta erat, deditionem faciunt, 4. Nonas Augusti. Sed barbara fide pactis statum, omnes enim uel caesi, uel in seruitutem sunt à Turcis redacti, quibus carior praeda quam fides erat, frustra Joanne illorum perfidiae reluctante. Zelemirius et Baïus aegre seruati. Lambergius ca-

1565 aug. 2.

ptus et ad Sulimanum missus. Durante obsidione hoc memorandum contigit, quod apud plerosque in prodigium uertit. Tanta agrestium muscarum asilorumque uis castra inuasit, ut nihil ab illorum infesta importunitate tutum, nihil quietum fuerit. Equus quamlibet ualidus, aliaquae iumenta, densitate et multitudine muscarum obruta, aculeisque confossa, exhausto sanguine misere interimebantur. Quapropter ne melioris notae equi, feralium bestiolarum morsibus obnoxij essent, leuidensâ in hunc usum paratâ, crassioreque telâ, ab ima ungula ad uerticem usque conuestiebantur.

Joannes Princeps omnem pacis nexum conuellit.

Haec dum ita uariante fortuna geruntur, Joannes Princeps omnem cum Maximiliano Caesare ineundae pacis rationem abiecit. Vnde factum est, ut Stephanus Batorius, uir alioqui maximus et summae prudentiae, parum abfuit quin ob leuitatem consiliorum Joannis, discrimen uitae apud Maximilianum Caesarem subierit. Missus enim ad illum ab Joanne orator, conciliandae pacis gratia, Casparus Bekesus effecit, ut omnis opera in irritum caderet. Nam cum de Sulimani prolixo in Joannem animo aureos montes polliceretur, minime aequum uideri uolebat, regium iuuenem cum Maximiliano in condiciones angustiores redigi. Sed et eo Sulimani beneficentiam exaggerabat, quod Georgium Bebecum potentia et opibus principem uirum, ad Joannis deprecationem libertati restituisset, quem Maximilianus ab eo impetrare non potuisset. Hoc modo foris Batorius dum cum Caesare pacis, inimicitiarumque extinguendarum negocium tractat, Bekesus contra domi pugnantia consilia cum Joanne agitat; Caesar inconstantiam Principis ad sui contumeliam trahens, legatum Batorium tamquam fucatae pacis fetialem, qui alias

iure gentium tutus sacrosanctusque esse debuerat, custodiae tradi iubet, ubi biennium detentus, tandem ad Joannem remissus est, magna cum Bekesi perturbatione, qui Batorium in obita legatione extinctum cupiebat. Jam tum enim tacita simultate illius gloriae inuidebat, quasi praesagus Stephano olim Principe, ambitum suum in regni petitione irritum factum, belloque castigatum iri.

Quae belli fomenta dum ita inter Maximilianum et Joannem procerum mutuis seditionibus aluntur serunturque, quibus non iure experiundi potestatem, sed uim quaeri apparebat, Sulimanus his discidijs irritatus, alienamque causam suam facturus, instructissima expeditione Maximiliano bellum intulit, quo iam extrema senecta grauis, ac plane Acherontinus, rebus suis, quas unquam praeclare gessisset, extremum fastigium imponeret. Cuius belli euentus, ueluti pro tribunali sedens iudex, illi uictoriam daret, cuius causam iustiorem esse censeret. Nec deerat Solimano occasio gerendae rei, in omnem opportunitatem semper intento. Nam et de euentu belli, coniectura ex superioribus facta, certam sibi uictoriam spondebat. Videbat quoque Christianos Principes, partim intestinis discidijs digladiari, partim uero secum foederis uinculo alligatos esse; quos non erat spes, nedum in mutuum auxilium, sed ne in concordiam quoque redactum iri. Nullos esse, qui publicum commodum priuato prius ducerent. Maximilianum Caesarem, qui diceretur magis quam esset, in quem belli molem esset conuersurus, ueluti praedae à reliquis Regibus et Principibus sibi expositum esse. Dubius ille, alternisque fidens ac diffidens imperij uiribus, timorem potius, quam spem in consilium cogitationum suarum

Sulimannus bellum conflat.

esset adhibiturus. Nullos esse in Germania gnaros rei militaris duces. Principes imperij, Pontificemque Romanum, ob religionis discidium capitali inter se odio teneri. Non posse in medium eos consulere, qui priuatas iniurias publicis malis anteferrent. Difficilia factu, longi temporis indigere. Maximiliano nec esse tempus ad corroganda auxilia, nec, si esset, quicquam operae pretium esset facturus, omnium animis ab eo abalienatis. Iam et illud Sulimanus cum animo reputabat, se maritimo bello Christianis inferiorem, terrestri superiorem esse, proinde hanc potius sibi uiam ad uictoriam, quam illam procliuiorem fore. Maritimae fortunae, Melitae irritam oppugnationem superiori anno luculento documentum esse, parum se mari ualere, cum inde magna clade reiectum, spes, quae numquam eum destituisset, hic insigniter fefellisset.

Accedebant Romanorum Pontificum artes, qui dum suae Italiae timent, Turcarum instructas uires in Vngariam euertendam non semel auerterunt: ita anno tertij ab hinc saeculi XLIII. cum Amurates ad inuadendam Italiam omnes uires armasset, Eugenius Pontifex Ladislaum Polonum Regem Vngariae, foedus paullo ante tactis utrinque sacris selennique iuramento cum tyranno firmatum, rumpere, Vngarosque in sua uiscera, Turcarum arma convertere coëgit. Eodem modo postea Hydrunte non magna Apuliae urbe à Mehemmede occupata, cum Pontifex, urbe Roma, diuis Apostolis Petro et Paullo commendata, in Galliam de salute Italiae desperabundus, fugiturus esset, ut Volaterranus testatur, recuperata prius Vngaricis auxilijs Hydrunte, Matthiam Regem continentibus bellis Turcas lacessere coëgit, ne uidelicet Mahemmedi ulla inuadendae

(*Széljegyzet Pray kezével:*) Heterodoxum se auctor utcunque prodit

uexandaeque Italiae opportunitas superesset. Nec secus superioris saeculi anno XIV. Thomae Cardinalis Strigoniensis operâ, Vladislaus Rex ad initum foedus rumpendum, inferendumque Turcis bellum à Pontifice adactus est: ni faceret, diris omnibus infernique tormentis se deuoturum Vngaros professus. Ita Cardinalis, iniecto omnium animis terrore, cum nobilitatem regnique ordines non posset, rusticam plebem, conniuente Rege, in arma conflauit. Sed ij à Turcis in regni uiscera ferrum conuertentes, primum nobilitati non leue exitium, deinde sibi internecionem pepererunt. Et paucis post annis, cum hic idem Sulimanus Ludouicum Vladislai filium iuuenem inconsultum et temerarium sponte ad foedus pangendum et amicitiam ineundam invitasset, Clemens VII. quo perniciem ad Italiam uastandam comparatam alio auerteret, Regem Ludouicum, injecto metu et religione captis superstitione conscientiis, ad excipiendam Sulimani uim detorsit: ne scilicet Neapolis, ne Roma, ne Florentia, ne tota Italia idem periculum subirent, quo Belgradum, quo Buda, Strigonium, tota Vngaria defuncta est. Postremum nunc, haec quoque Sulimani expeditio, qua ille Melitensi repulsa ignominiam acceptam deleret, eodem animo, ijsdemque neruis in Italiam domandam erat adornata, ni Pius V. Pontifex, Maximilianum Caesarem ad repudiandum foedus Sulimani cum Ferdinando ictum, recusandumque tributum, omni arte, studio et auctoritate animasset.

Hoc modo varijs pontificis, Caesaris, Principumque artibus, Sulimanus in Vngariam attractus, eam, quae postrema illi fuit, expeditionem intentissima cura adornauit magnaque spe suscepit. Quo quidem in bello, ille vitam cum gloria, nos Zigetum et Julam cum

summo dedecore et clade amisimus. Constituerat autem Sulimanus, eam aestatem in occupanda reliqua Vngariae parte se consumpturum, nec prius Constantinopolim rediturum, etiam si sub pellibus esset hiemandum, quam totam Vngariam Germanorum imperio extorqueret, uertenteque anno ad Viennam Maximilianumque ipsum debellandum, summis viribus, obstinatissimoque animo aggrederetur. Verum ille non integri sui desiderij, sed partis compos, cum naturam satietate uiuendi explevisset, fato sub Zigeto abreptus est, benigno Vngaris numine sic crudelissimi tyranni consilia compescente. Cujus sane conatus, si morte non fuisset interpellatus, non est dubium quin numerosae suae gloriae insigniorem majoremque colophonem fuerit impositurus. Quamquam ille, utrisque, quas expugnatum uenerat, artibus captis, eo Christianis ignauiae maiorem notam inussit, quod uel morte sua uictoriam est adeptus, nec quisquam uel uiuum uel mortuum lacessere est ausus. Sic animatus, sic armatus Sulimanus Vngariam apparatu exquisitissimo ingressus est. Quapropter Maximilianus quoque Caesar, non dubia fama Sulimani in Vngariam aduentum accipiens, Zigetum et Julam in quas arces barbarus omnem belli molem putabatur conuersurus, praesidio ualidius firmandas curauit. Julae ac circa locorum praefecturam Ladislaus Kerecienius, uir honoribus amplissimisque fortunis maximus, cum imperio tenebat. Zigeto et quatuor adiunctis Comitatibus (quos uocant) Somogiensi, Baroniensi, Tolnensi et Valponensi, Nicolaus Zrinius, magni uir animi, fortunaque cum sua tum publica praepotens, certa jurisdictione praeerat.

Maximilianus Caesar Castella finitima praesidijs confirmat

Ita comparatis utrinque ad bellum animis, Su-

limanus jusso Bertauo Bassa et Anatoliae Beglerbego cum copijs praeire, paucis post diebus ipse quoque eos subsecutus Belgradum peruenit. Ubi cum esset, Joannes secundus Transilvaniae Princeps, suasore maxime Mehemete sanctioris consilij apud Sulimanum supremo praeside, quem Vezerem uocant; et Gaspare Bekeso, qui pridem Byzantio reuersus ad ambitiosum magis quam necessarium officium obeundum, animum regis multa fiducia firmare non cessabat, Sulimanum conueniendo consilium suscepit. Itaque cum equitibus D. militari ornatu insigniter instructis et CCC peditibus, tum uero nobilibus hominibus L, rheda Comitatum eius honestantibus Belgradum iter intendit. E primoribus hi fuerunt cum nobilitate tum opibus praecellentes: Michael Ciakius cancellarius, cuius prima est secundum Principem in aula dignitas; Stanislaus Nisoczkius Polonus, Isabellae Reginae primum, postea Joannis secretiorum consiliorum rector, Casparus Bekes, genere nobilis, origine Valachus, sed quem Joannes in magnos honores et opes prouexerat; Georgius Banfius, postea in summum militiae magistrum Christophoro Batorio Principe assumtus; Georgius Apafius, e vetusta Abae Regis genere oriundus, Regalis aulae magister, quem anteambulonem dicunt; Volfgangus Bornemisza; Michael et Nicolaus Telegdy fratres, sed non germani; Jacobus Pokay; Georgius Blandrata Regis archiater; Simon cognomento Miles, consul Cibiniensis, ac Saxonicae heptapoleos moderator; Paulus Becz, e Sicula nobilitate, uir acris animi et cordatus: Georgius Capitanus vir strenuus et manu promptus, cohortium aulicarum dux, famaque etiam Turcicis praelijs celebris, qui postea in obsidione

Joannis Principis ad Belgradum cum Sulimano congressus.

Tokaiensi, magno edito fortitudinis documento, pila tormenti trajectus occubuit; Stephanus Kemény Comitatus Cocaliensis comes, quem uocant; Michael Julanus, legationibus ad Turcarum Imperatorem obitis clarus, eorumque linguae non ignarus, alijque cum his non pauci, opibus et uirtute nobilissimi domi homines.

1566 jan. 29. Appulit Joannes ad Sulimanum, ad III. Kal. Julias, qui tunc in semisepulta arcis Zemlin rudera, trajecto Sauo, castra locarat. Danubium transmissuro, biremis Sulimani, aurato opere insignis, emblematumque admirabili uarietate fabrefacta, tum uero peristromatis purpureis et holosericis auro intertextis conspicienda, obuiam fertur. Nauis centum fere hominum capax, (saicam uocant) remo agebatur. — Summus Janizarorum dux, quem illi Agam uocant, et uezerum Basarum unus, latera Principalis nauis utrimque claudentes, ipsum Joannem, cum praecipuis excepere. Sequitur eos officij gratia, uisendique studio tanta cymbarum uis, ut nisi quod in diuerso elemento, triumphi speciem referre uideretur. Hinc a ripa fluminis ad tabernaculum usque illi destinatum, equitum Turcarum cohortes diductis late alis, uiam ingredienti ex officio praebebant: quibus ille insinuatus longo ordine in tentorium regali apparatu instructum processit, quod non longe a Sulimani statiuis aberat. Die post tertio, de more lautia data, holosericeae uestes aurei et argentei operis, quibus primores induti se Sulimano praesentarent. Centum Janizari, Joannis donaria singula singuli praeferebant, digna summo Imperatore, regioque juuene munera. Vasa erant partim ex solido auro, partim argento ancaesa, multorum pondo, que gemi-

Munera Jonnis Sulimano oblata.

nae operculis in se coëuntibus cohaerebant, sed ad usum cum libebat, diduci poterant: tum uero alia, ut formarum diuersitate, ita et figurarum uarietate distincta. Eorum latera et apices praeter anaglyphas*) florum caelaturas, undiquaque emblematis insiticijs gemmarum luculenta uarietas illustrabat. Haec quadraginta feruntur fuisse ipsi Sulimano oblata praeter ea, quae argento quidem caelata, sed auro perfusa, proceribus peritiorum consiliorum conscijs passim sunt dispertita. Praeferebantur bini quoque disci ex solido auro conflati, quorum in altero monile erat gemmis consertum, sed triplici maxime gemma, totidemque eorum coloribus radians, flammeo carbunculo, condente adamante et uirentissimo smaragdo: in altero horologium, in annulo policari constitutum, quod mira subtilitate introrsus mola circum actum, quovis tempore horarum spatia tintinabuli sonitu dimetiebatur. Id Sulimano impense placuisse dicitur, admiranti artificij subtilitatem. Architectus preciosi organi, uir Vngarus, domo Eniediensis, quaestu aurarius opifex, fortuna tenuis, nomine Egidius. Post haec ferebantur quadraginta orbes escarij, ad mensarum usum, argentei quidem illi omnes, sed auro illiti. Tum uero paterae duodecim, summorum olim Monarcharum Cyri, Alexandri, Darij, Julij, aliorumque Caesarum fortiter gestis illustratae. Materiam, artificium superabat. Nam caelaturis eminentibus ijsque subtilissimus, quod exquisitissimi operis censetur, argumentum omne efformatum erat. Postremo triginta falcones, melioris notae, cicures aucupioque accomodi. Tota donarij summa quinquaginta amplius aureum millia fertur excessisse.

*) Mindenféle czifra edény.

Tam opulento munere, tertio quam aduenerat die Joannes a Sulimano accitus est, Janizaris qui donum ferrent, longo ordine praemissis. Ipse Rex uiginti e praecipua suorum nobilitate ad se comitandum elegit, quorum decem pone sequebantur, reliqui ex more illi praeibant, itaque ad Sulimanum equo insidens deductus est, donarijs in tabernaculi uestibulo conlocatis. Ingredientem Sulimanus, ac usitata genuum flexione illum uenerantem, e sella paullum se leuans comiter ac hilari uultu excepit: modica inclinatione capitis, uti Turcis mos est, salutantibus fausta uicissim precari, significauit gratum sibi esse eius aduentum. Mox dexterum porrexit, ac reliquos qui adstabant ex Joannis comitatu, nobillissimos domi homines, orientalis uenerationis in morem ad pedum oscula admisit, barbara quidem et superba ambitione, nisi gentis ac regionis ritus facti dedecus utcumque eleuaret. Jussus Joannes iterum atque iterum honoris causa in proxime positam sellam considere, primum deprecata uenia modeste recusauit; tertio iussus, ad dexteram consedit: post quem Bassae purpurati, sanctioris consilij post Imperatorem capita, ordine, positis decussatim manibus constiterunt. Mox ultro citroque habito sermone, de belli apparatu: num satis instructus copijs uenisset ad Germanos debellandos, Viennamque expugnandum; de Vngaria ab imperio Maximiliani uindicanda; idque genus alijs, multa inserens de Joannis patris fide, moribus, animi magnitudine. Quibus ita habitis Joannes Sulimano exsurgenti libellum tradidit, in quo finium cis et ultra Tibiscanorum limitatio definiri postulabatur, quos Germanus Imperator subinde nouis concitatis armis in controuersiam uocaret. Acceptam schedam Sulimanus Mem-

heti primo e consilijs tradidit,iussitque ut quaınprimum quidquid id esset, diplomate dato expediendum curaret.

Joanni Principi datum an tidonum.

Data sunt Joanni quoque munera, aeque magnifica. In his incuruus gladius, quem siue acinacem siue harpam dixeris, ferri praestantissimi. Eius uagina inducta auro obryzo, gemmarum uarietate admirabili spectantium oculos perstringebat. Baltheus datrantalis lutitudinis, cui acinaces erat appensus, non minore opulentia radiabat. Datus et pugio oblongae formae Damasceni ferri, honestum apud illos iuxta ac utile equitibus gestamen, quo punctim, sicut acinace caesim pugnatur. Is in triquetrum cusus, totidem sulcis ab imo ad apicem usque striabatur, cuius uagina preciosissimis gemmis inducta uix quicquam spectatu elegantius uideri poterat. Adiecta est his claua, unionibus clarissimis per seriem distincta. Dati etiam quatuor equi Tracici, generosioris notae, ornatu omniformi strati: octoque insuper alij, carpento subiuges.

Ne uero tam effusam Sulimani gratiam laetus exitus sequeretur, Memhetes effecit, spemque melioris responsi, idem qui dederat, ademit. Inuitatus enim Joannes ab eo ad colloquium, auctore Bekeso respondit, sibi idem placere, sed quo commodius sermone conferendo uacari possint, placere ut equites in campum animi gratia exirent. Cui Memhetes: sibi id in praesentia ob publica negotia non licere, quod tamen ipsum in aliud tempus se dilaturum respondit. Sentire uisus et barbarus insolenti ambitione tumens, aut suspectum Joannis se animum aut arrogantem, quippe qui eius inuitationem prae superbia quadam detrectare uideretur: quae iniuria (ut ille uidere uolebat) licet tacita dissimulatione pressa, altius animo barbari quam par esset, est inflicta. Unde factum est,

ut nihil aequi Joannes a Sulimano postea impetrauerit. Dum enim rem prolatant, nunc haec nunc illa impedimenta causati, Rex morae pertaesus impetrata missione, decimo quam uenerat die, irrito postulato domum reuertit. Caetera quod attinet comiter a Sulimano et prolixe habitus, quam diu in castris commoratus est. Victus illi non tantum ad necessarium usum, sed et ad delicias affatim subministratus est.

His diebus dum in Sulimani castris haeret Joannes Rex, ut eius taedium ueluti festiuo quodam acromate condiretur, spectaculum regijs oculis non indignum exhibitum est. Erat uir Turca, ortu Thrax, athletica corporis firmitate insignis, cui usus et exercitatio multa accessione robur conciliauerant. Luctator eximius erat, eoque questu uitam tolerabat, proinde apud purpuratos quoque ob uirium excellentiam notus acceptusque erat. Hic cristatus et magno militaris pompae tripudio ad Regis tabernaculum comitatus, unum e regijs militibus ad palestram prouocat, solenni praefatione usus: se pro inuictissimi Caesaris uita et uictoria, singulari certamine aleam pugnae tentaturum: si qua uirtus, si quod animi robur Vngaris superesset, lucta experiri uelle, quid utrique alteris ui et robore praestarent. Hic Rex etiamsi non ignoraret, neminem ex suis esse, in eo genere certaminis exercitatum, ne tamen decus militare ulla suspicione timiditatis aspergeret, Petrum quendam cognomento Ciukas, nec genere nobilem, nec insigni aliquo facinore celebrem, sed tantum corporis mole atque animi promptitudine insignem militem, quomodocunque tandem alea pugnae caderet, prouocatori exponit: breuiter cohortatus, iret et Ungaricum nomen, quod olim supra Turcas fuisset, digno facinore, honestaret,

Lucta Petri Ciukasij et Turcae.

futurum, ut ea non solum ad communem gentis gloriam pertineret, sed et ab ominosa uictoria, quam prouocator sibi sponderet, ille dejectus, experientia cognosset, non penes illos solos esse fortitudinis laudem. Iam Turca locum praestitutum occupauerat, ac dum Petrus pugnae se instruit, ille imminenti luctae mira agilitate sultuque secum proludebat. Mox et Petrus in conspectum se dedit, adstantibus hinc et illinc numerosis spectatoribus, ut suae quisque partis uictori, tum uoce tum manibus applauderet. Turca fabulam exorsurus propius accedens, antagonistae suo sub primum statim congressum, ex inopinato colaphum quam maxime sonorum in faciem impegit, ut pugnae imperito bilem concitet. Tali proemio Petrus salutatus, improuisoque exordio perturbatus, stomachum non ferens, magna ui correptum Turcam brachijs occupat: hic arte et uiribus, ille pallestrice ignarus, ui sola juxta colluctantur. Pendente uictoria spectatores inter spem et metum utrimque haerent. Tandem Turca Petrum e terra sublatum, summis uiribus prostraturus erat, nisi ille diuaricatis quam latissime tibijs, altero pedum ruinam sui sustinuisset. Et iam luctae finis adesse uidebatur, cum Petrus cohortatione suorum animatus, nodo cruris implicitum athletam supplantans, intensis omnibus uiribus grauiter ad terram resupinat ac superincumbens, collecta in nodum uola, os multa plaga contundit, ut cruore facies maderet. Ita Petrus mutuum in exordio fabulae acceptum, in fine prouocatori cum foenore reddidit. At Turca, ignominiae juxta et plagae impatiens, clamare, minari, quiritari, legem palestrae uiolatum esse, uerbere cruentato Turcam a Christiano affectum esse, quod indignum uisu factuque esset. Rex, ne cui querelae locum daret, quiritantis stomachum,

centum aureis nummis placauit, ac dimisit. Petrum uero ob rem bene et fortiter gestam donis luculentis donauit: castellum Bajon ampli et feracis agri, tum et pagos finitimos attribuit, quae illi per omnem gentis suae seriem perpetua immotaque essent. Adjecto insuper stemmate, quod illi, posterisque eius gentilicium foret, Turcam humi deiectum; cui Petrus innixus, intentato pugno colaphis immineret.

Ante uero quam Joannes ad Sulimanum iter susciperet, ne absente eo Balassa et alij quietis publicae hostes, e Germanorum partibus occasione inducti regni finitima turbarent, placuit ad omnes casus, regni ordines armatos ad Tordam opidum castra habere, ubi campus cruciatus a Crucigerorum clade nomen adeptus, lata planicie secundum Aurei amnis decursum diffunditur. Duces exercitus duo Christophori, Hagymasius et Batorius, affinitate sororiarum nuptiarum et ipsi inter se coniunctissimi, et toti Regno perchari. Et Hagymasius quidem summus militiae magister declaratus, recenti gloria, seruatae arcis Varadini aduersus uim potentis hostis, florebat. Batorius uero, qui postea in Principatum peruenit, optimarum artium studijs in Italia peregreque alibi eruditus, praeter praeclari generis splendorem, perspicacis insuper animi ui, supra alios eminebat. Dum hi in statiuis ad Tordam haerent, interea Lazarus Suendius, Maximiliani dux, et regioni Cassouiensi circaque locorum praefectus, Husztum arcem ad radices Sarmaticorum montium editissimo loco situm acerrime oppugnabat, ut eam antequam uel Joannes rediret, uel Sulimanus in interiora Vngariae penetraret, in potestatem redigeret. Sed irrito conatu, ope-

ram tantum ludebat. Nam et sua uirtute, et loci commoditate freti propugnatores, omnem uim Suendij, fortiter non excipiebant modo, sed et repellebant. Ne uero ille quod uirtute non poterat, longiore obsidione efficeret, moraque obsessos frangeret, Hagymasius et Batorius partem copiorum cum tormentis, Hustum uersus progredi, auxiliumque tempestiuum socijs laborantibus ferre iusserunt. Qua re Suendius accepta, siue iam obsidionis temere tentatae pertaesus, siue Transiluani auxilij fama turbatus, copias Vnguarum uersus in tutum reduxit.

Sulimanus Sauum ponte trajicit.

Haec dum diuersis in Vngariae Transiluaniaeque partibus geruntur, Sulimanus interea Sauum traductis copijs ad Drauum peruenerat, ubi pontem laborioso iuxta ac celerrimo opere extruendum curauerat, partim sublicis in uadum defixis, superneque contabulatis, partim nauigijs in alto uertice ad easdem sublicas concatenatis, eodemque modo asseribus constratis. Tota pontis fabrica a Bellie pago, ad Ezechum usque oppidum protendebatur, quod sex millia passuum (id unius Vngarici milliaris spatium est) complectitur. Poterat quidem Drauus alibi compendiosiore pontone consterni, sed illud traiectum cum toties antea Sulimano prosperum felixque fuerit, nequaquam committere uoluit, ut ullo alio diuerticulo uictoriae suae omen turbaret. Etsi autem tunc Drauus ob assiduas pluuias alueo effusus, longe lateque palustribus undis agros impleuerat, nihil tamen rei difficultate Sulimanus deterritus, ibidem loci Drauo pontem imponere uoluit, ubi olim et postea ad debellandum Ludouicum Regem, et occupandam Budam profecturus, exercitum traduxerat. Is pons decimo sexto ab inchoato opere die perfectus est.

Zigetum arcem Sulimanus obsidit.

1566. aug. 10. Drauo transmisso IV. Idus Aug. Zigetum Sulimanus obsedit. Ziget insulam quamlibet Vngarorum sermone significat, a quo loci positu arx quoque ea nomen adepta est. In paludes enim insinuata, unicum aditum a terra habet, cetera circum uliginosis lacunis sunt circumsessa. Praesidium in opido et arce Vngari et Illyrij circiter bis mille. Imbellis turba mulierum et puerorum totidem fere. Curulia tormenta ad LX et omnis bellici apparatus uis ingens. Exinde dispositis aggeribus muri a Turcis uerberari sunt coepti, cui dum acerrime insistunt, praesidiarij eruptione facta multos ex ijs concidunt. Tormenta, cum inuehendi facultas non esset, clauis adactis corrumpunt. Ad III. Kal. Septembris acerrimam impressionem hostium, incredibili animi constantia sustinuere, octies muris succedentes Turcas, octies a muris magna edita clade repulere. Semel 24 continuas horas, barbaros peruices irruptionem continuantes e ruinis reiecere. Fuerat antea is dies multis uictorijs Sulimano memorabilis, quo euentu ut nunc Sulimanus frustraretur, propugnatorum fortitudo effecit. His angustijs Zrinius constitutus, litteras Ouarum ad Caesarem Maximilianum mittit auxilium postulatum, quod ni mature submittatur, fore ut tanto suorum diminuto numero, arx breui in potestatem Turcarum ueniat. Et iam Turcae nihil de summa pertinacia remittentes, oppidum integro mense oppugnatum incendio et ruinis euerterant, unde Zrinius in arcem se cum suis receperat, extrema quaeque tentaturus, sed enimuero nihil uiribus proficitur, ubi aduersis fatis res agitur. Proinde VIII. Idus Septembris, cum iam nudius tertius eius diei Sulimanus morbo et senio fractus, uitam amisisset, Turcae summis extremisque

1566. aug. 30.

1566. Sept. 6.

uiribus in arcem perrumpunt; ubi dum magna utrimque miserrimaque caedes patratur, Zrinius stricto ense inter confertos cum suis ruens, tormenti geminato ictu traijcitur. Humi procumbentem signifer, qui pone sequebatur, Principem uexillo principe contegit, totum super illum prouoluens, nec prius locum reliquit, quam confossus super cadauer domini procideret. Is fuit Georgius Ciaky, e clarissima et uetustissima Ciakiorum familia natus, qui eo maiorem magni animi laudem est consecutus, quod paulo ante quam Sulimanus Zigetum obsideret, confecto honeste stipendio impetrataque missione ad suos redire statuerat. Verum adhibita in consilium magni animi honestaeque famae cogitatione, ubi certiore fama accepisset, Sulimanum, ad Zigetum expugnandum accelerare, sponte ad Zrinium e medio itinere redijt; ne cui calumniae ansam daret, se Turcici belli metu turpem receptum uitae suae quaerere uoluisse, eamque ob causam tempestiuo effugio se in tutum subducere conatum esse. Ita iuuenis summo loco natus peraeque summam fortitudinem, honestissima morte cumulauit.

Georgij Ciaky insignis virtus.

Vngari reliqui et Illyrici nominis alij, cum jam extremum rerum discrimen imminere uiderent, turrim quandam tormentario puluere oppletam, subito inflammant, magnumque Turcarum edunt stragem, hostibus circumquaque ignis pariter et saxorum fragmentis foede dissipatis. Alij uestes et quidquid pretiose suppellectilis supererat, ne qua spoliorum manubiarumque pars ad hostes perueniret, igni raptim ad id facto aboleuerunt. Alij aurum et argentum, et quidquid habebant thesauri recludentes, decumanis tormentis infarciebant, atque ita explosum, foras in

paludes inuiaque loca dissipabant. Hoc modo non se solum honesta morte, sed et sua omnia perditione crudeli hosti eripientes, eandem animi impotentiam (quod miserabile uisu factuque erat) in liberos et uxores conuerterunt: ne illorum uita Turca potiretur, castisque corporibus abuteretur. Quo uero minore cum immanitate necessarium paricidium perageretur, alij in aliorum uxores et liberos interficiendos conducti, uicariam sibi mutuo operam praestabant: barbara quidem et impia crudelitate, nisi fati uis inexorabilis, inuidiam facti utcumque eleuaret. Usque adeo uehemens ille amor, qui nulla de causa riualem ferre potest, et pius ille affectus, qui Storga uocatur, perturbat adeoque occoecat animum hominum, ut quod perse impium fuerat, pium esse putetur. Sed necesse est animum omnesque affectus uinci, ubi alia omnia uincuntur. Non odium illos, sed caritas, non uindicta sed miseratio, non immanitas sed pietas ad ultimam perdendi suos necessitatem adigebat. Proinde ipsa morte, quae sola iam uictis supererat, carissima suorum corpora, cum aliter non possent, in libertatem uindicabant. In tanta malorum mole memoriae proditum est, fuisse quasdam foeminas ab animi magnitudine ita instructas, ut cum ferrum in suam filiorumque necem expediri uiderent, maritorum genibus aduolutae lachrymis et singultibus, non mortem sed mortis genus, pauxillum differii his uerbis deprecati sint: Haec ne est illa fides, quam tactis utrimque sacris, Deoque et hominibus testibus iurastis, nos quicquid fortuna tulerit, ad extremum usque spiritum nunquam a uobis iri desertum? Haec ne pietatis et misericordiae illa officia, quibus nos hactenus complexi estis? Siccine ex amante, subito hostes estis

Maritorum in uxores et liberos immanitas.

facti, ex uitae propugnatore, carnifices; ex maritis parricidae? Itane nobis, quarum salutem uestra morte sperabamus defensum in uitam eripere sustinetis? obtestamur uos per quid quid sacrum, per quid quid carum est, hanc feritatem exuite, tam immane nefas hostibus relinquite. Non mortem deprecamur, sed auctores mortis. Tam crudeli scelere, hostis Turca perfungatur. Vltimum mali solamen erit, uobiscum una perire. Agite nos armis induite; ibimus uobiscum per aequa omnia et iniqua, quocumque Deus, quocumque dura necessitas traxerit. Prius uitam quam uos deserturas denuo iuramus. Si loco cedemus, si non per uulnera uitam amittemus, esto medijs in hostibus ferrum quod in Turcas strinxeritis, e uestigio in nos conuertite. Dijs hominibusque exsecrabiles, uelut foedae porcae, uestris manibus caedamur. Hoc modo una cum uiris, animosae uiragines, omnibus iam victis, inuictos animos gerentes, collecto in globum agmine, in Turcas erumpunt, nec prius pugnandi modum ullum, quam uitae finem fecerunt. Quae quidem res, maiori feritatis argumento, quam uirtutis armorumque conatu gesta est, si modo fidem facturum est, quod oculari ijque fide digni testes, ea clade defuncti etiam num commemorant. Matres paruulos filios, quibus haud dubie uictor hostis parsurus fuerat, brachijs complectentes, una secum in aciem produxisse; cingulis arreptos, pro scutis et clypeis ad hostiles ictus objectasse: uulneribus tandem confossos, tormenti loco in hostium ora contorsisse: nec prius ipsas loco cessisse, quam ad filiorum cadauera confossae procumberent. Hunc in modum miserabili clade uiri pariter et mulieres defuncti, arcem omnibus rebus uacuam hosti reliquerunt. Vix Turca ex

Matrum memorabilis feritas.

tam obstinatis corporibus, ullum suae libidini reliquum reperit, praeter arcis rudera, hostium propugnatorumque sanguine madentia.

Caput Zrinij ad Echium missum.

Capta non inpune arce, sedataque paullum tempestate, Zrinij ducis caput trunco abscissum ad Echium Salmensem, militiae Maximilianorum copiarum praefectum a Mehmete secretioris consilij praeside, missum est, non sine graui uerborum insectatione: Maximilianum non minus superbum quam imbellem hostem, nec pacem nec bellum ferre posse. Eminus duntaxat non cominus, et uerbis non uiribus fortem esse. At hoc documento discat, uirtute in bello non uerbis opus esse. Cur non ad leuandos obsidione suos propius accedit? cur non acie confligit, ut ipse Deus Iudex ostenderet uter imperio sit dignior? proinde si pacem uult, ponat supercilium et se dedat. Si mauult bellum, uel accedat propius uel nos accedentes exspectet, ubi non aliam speret uictoriam, quam quod hoc ducis sui caput illi suggerit.

Haec dum in hunc modum geruntur, iam Sulimanus, tribus ante captam arcem diebus e uita discesserat, cuius mortem Mehmetes primus a consilijs tanta prudentia celauerat, ut non prius quicquam de eius morte auditum sit, quam Selimus successor ad Belgradum reuertenti exercitui, patrique defuncto pullatus occurreret.

Pertauus Bassa Julam oppugnat. 1566. Jul. 2.

His rebus ad hunc modum constitutis, iam antea Pertaus Basa Julam VI. Nonas Julias obsessam, quatuor simul ex partibus aggressus, ui tormentorum acerrime infestabat, propugnaculaque deiecerat; tum uero aggeribus in altum actis defensoribus omnia loca nudauerat. Ita enim pilarum procellae in urbem spargebantur, ut nemo uel foras e munimentis spe-

ctare impune posset, muros quoque craticio opere structos iniectis ignibus absumpserat. Quibus accessit alius aeque grauis casus. Tria tormenta maiora, quae Germanis magistris curabantur, immissa maiore quam pro captu ui pulueris, tormentarium pariter ac circumstantes foeda strage dissipauerat. Accessit ad haec mala, diuturnae obsidionis comes pestis, quae siue ob torridi aestus uehementiam, siue ob cadauerum putorem, siue ob aegrorum contubernia, uulgatis interse morbis, adeo inualuerat, ut triceni quandoque plusue, minusue per diem interirent. Ipse etiam Chrysius amnis deriuato alio ab hostibus alueo, obsessos aquatione destituerat, quod sicca coeli intemperies ita auxerat, ut nonnisi e profundissimis puteis aqua in usus hauriri potuerit. Jam uero Pertaus ne non omnia expugnandae arcis praesidia tentaret, tribus ex partibus totidem aggeres coaceruandos curauerat, e quorum cacuminibus urbem quassare, obsessosque ad deditionem cogeret. His angustijs dum obsessi constricti tenentur, nullam occasionem rei gerendae Pertaus praetermittebat. Quapropter quatuor simul ex partibus impressione in apertas ruinas facta, nostri magna constantia, uim inferentium non sustinuerunt modo, sed et reiecerunt, plus mille ex hostibus ea clade absumtis. Post haec Pertaus cum se irritam operam nauare uidet, quod uiribus non poterat, arte tentare constituit. Misit ad Julanos Illyrici nominis transfugam quendam Marcum Rodenovith profano nomine Rez Agam genere Croatum, notum olim illis et commilitio familiarem, qui pacis deditionisque interpretem apud obsessos ageret. Is intro missus, coram Kerecienio, adhibitis praecipuis quibusque ex ducibus, quorum ea quae nunciabantur, intererat

Caduceator ad Julanos missus.

scire, sic coepit: Ego, inquit, ortu, ut scitis, Christianus, etiamsi Turca uidear minime affectum pium in Christianos exui. Idem sum qui fui antea erga uos. Proinde fretus uetusta necessitudine, quae mihi iam pridem cum Christianis intercedit, non tam missus quam sponte ad uos ueni, uestra causa: nunciatum, non nihil adhuc super esse pacis et salutis, si ipsi eam pertinaciter non repudiaueritis. Fortiter hactenus potenti hosti restitistis, laudo constantiam, sed non eadem fortuna post hac uos manebit. Pro gloria hactenus, post hac pro uita dimicaturi estis. Si auxilia a Germanis speratis propediem affutura, moneo, in hac obstinacia, uobis constate; hostis minas contemnite; subsidiarias manus, quae uos obsidione leuent, ac Turcas profligent, praestolemini. Si uero nihil est quod speretis, ut sane nihil est; nec uestra iam arma uos defendunt: quid est cur salua existimatione, uitam seruare non uelitis, quam hostis uictor uobis sponte donat, cum capta arce, utrumque perdituri sitis? Perditis omnibus, nonnisi stulta confidentia praecipites, animam simul perdere uolunt, quam honestis condicionibus seruare poterant. Bassa uobis fidem suam publicam, Caesaris, omnium denique pollicetur. Obsides dat, quos ipsi e toto procerum agmine postulaueritis, suumque adeo generum Zolnok arcis praefectum. Ipse toto cum exercitu retrocedens, quo uobis omnem fraudis suspicionem eximat, in tutum uos pacatumque dimittet. Haec nisi hodie sponte acceperitis, cras frustra suplices postulabitis. Sed hoc nuncium, nihil Kerecienium, ducesque alios nondum adhuc desperatis omnino rebus mouit.

Quae dum in hunc modum diuersis locis in Vngaria administrantur, Joannes Rex, paucis ante

diebus, quam Jula a Pertao obsideretur, legatum ad Kerecienium miserat, certoque illi denunciauerat, Sulimanum partem copiarum suarum ad Julam oppugnandam missurum : curaret ea quae ad arcis defensionem usui essent, ne improuiso bello opprimeretur. Tum et illud nunciauerat, se a Sulimano impetrauisse, uti a Jula ditionis suae olim opido, omnis uis omneque bellum auerteretur, si modo in fidem et potestatem suam arcem traderet. Petere itaque se ut expensa secum hostis ab omni armorum militumque ui paratissimi potentia, ne pertinaciam privatam cum publica clade coniungeret. In tam altum euectam esse Sulimani fortunam, ut in quamcumque non arcem duntaxat sed regionem incumberet, saeuissimi diluuij instar omnia obrueret, armatos, inermes, fortes, captos, deditos, extrema internecione deleret. Jam uero idem hostis per annos sexaginta et amplius continuis uictorijs superbus, omnia aequa et plana in Vngariae regno suae uictoriae reddidisset. Qui sane, ut ne ferrum quidem aduersus Julanos stringat, mora sedendoque, si ita illi uisum fuerit, bellum conficiet. Videret bene et quidem in tempore quo progrederetur, quid ageret : ne dum fumum fugit, in ignem se praecipitaret. Ista pertinacia animi, quam foueret, nec amicos pararet, nec inimicos tolleret. Rem, inquit, quam ego tecum transigere, aequa et honesta conditione cupio, maximi ad rem Christianam momenti fuerit, tu uide ne dum pertinaciam culpae addis, mox malorum accessione utrumque cumules. Imminet tibi hostis ab omni telorum copiarumque genere paratissimus, cui sustinendo num par esse possis, in uotis magis est, quam in spe uel re. Jam ut nullum nostrum ius, in recuperanda arce

Joannis Principis ad Kerecienium nuncium

postulationi aequissimae praetexam, mauis ne eam ancipiti fortunae subiectus, in Turcarum potestatem immanium hostium, quam in Christiani Principis redactum iri? Non arbitror te huc malignitatis prouectum, ut illorum tyrannidem nostro imperio praeponi uelis. Ne inuideas Christianae reipublicae hoc emolumenti. Tuum ne uel meum sit, ego non tam curo, quam ut sit nostrum, id est Christianorum : quorum quàm par erat omnia fieri communia. Me non ambitio, non habendi insana cupido, sed afflictae patriae misera conditio huc rapit, ut finitimum nostrae prouinciae propugnaculum, non a uestris sed Turcarum faucibus ereptum cupiam. Adiungendum itaque te nobis, secundioreque fortuna in conditione honestae pacis, utendum censeo potius, quam, in nescio quam spem, de Maximiliani potentia euectus, in casum irreuocabilem te praecipites; cui cum obnoxij simus omnes, tu insuper his animis, hac pertinacia etiam te offerre non dubitas. Nisi nos hac moderatione, a primis Regni nostri initijs, in demulcenda potentis hostis Tyrannide usi fuissemus; temeritatemque necessitati cedere coëgissemus : iam pridem nostra Transiluania eidem malorum moli, cui Vngaria fuisset inuoluta. Pangimus itaque cum hoste foedus, pendimus tributum, aere pacem redimimus, et semper perdimus aliquid Castoris animalis exemplo, ut toto tranquilli potiamur: ad omnes interim occasiones intenti, quas Christiani principes suis dissidijs subinde intercidunt. Malumus fluctuari, quam mergi: uacillare, quam praecipitari: periclitari, quam funditus exscindi: frui quassatis, quam quibus nihil integri supersit: sperare salutem, quam re desperata niti. Nihil iuuat brachium aduersus torrentem extendere;

occasio dum sponte defluat, expectanda: mox uado superabitur amnis, qui tam rapidus diluuio quaeque inuoluebat. Equidem mortem pro patria oppetere nemo sanus praeclarum esse negabit: sed ubi ita necessitas, cui omnia humana cedunt, tulerit. Si tuum solius caput, huic discrimini obiectum piaculo foret, quod tamen abominamur, ferri utcumque posset; nec dubitamus, quin priuatum uel ipse, si quidem amans es patriae, publico malo anteponeres. Nunc cum in tua obstinata uoluntate, publicum pariter ac priuatum periclitetur; quam putas fore rationem quam spem, quae te ab ea noxa absoluat, cuius contagio in omnes redundatura est. Certe uerendum est, ne ista pertinacia diuinam indignationem et quid quid in nos irarum coelestium superest, maxima cum Vngariae reipublicae clade in nos caputque tuum detrahas. Quapropter cum in rerum humanarum inconstantia, maximum momentum sit, quibus consilijs et quam salutaribus quid agatur, non dubitamus te quoque perspecturum, quid in rem emolumentumque miserae nostrae patriae conducat. Arcem nostri Imperij confiniam, tradi nobis petimus, quae sane non minus erit nostra quam uestra, si salutaribus potius, quam speciosis aliorum consilijs aurem accommodaueris. Quod ni faciendum tibi persuaseris, uerendum sane est, ne in eas augustias te sis deducturus, ubi nec honestus ad moriendum locus, nec spes salutis ulla supererit. Jam uero uide mihi et illud, num e re tua fuerit una cum praesidio te exitio tradere, quorum utrumque dirus hostis molitur. Itane potior tibi sententia est, cum utrumque seruare possis, utrumque perdere, ac alterum malum alterius accessione cumulare. Propone tibi ante oculos amis-

sae arcis cladem, e cujus seruandae spe propemodum deturbatus es; mox introspice omnes reipublicae Vngaricae partes: quantam obsecro portam aperies ad occupanda alia, quae fortuna ex hoc Regni naufragio nobis reliqua fecit? Tu spem tuam, si quam foues, et naturae regula, et potentis hostis uiribus metire; ac non solum quid uelis, sed et quid possis, quidue magis deceat, non populari trutina, sed recto iudicio examines, ita fiet ut ubi de ijs serio cogitationem susceperis, tunc liquido perspicies, nos nihil ab aequo bonoque alienum te petere.

Kerecieny insolencia.

Haec et talia Joannes. At Kerecienius, nondum Turcarum obsidione circumuallatus, ut erat insolenti natura, ac tumido uir ingenio, cuius superbiam opes amplaque praefectura auxerant, nihil ab ingenio discedens Joannem ferociter appellauit, ac nuncio: caluum, inquit, tondet regulus uester: neque enim unquam scenico illi et personato creato Regi arcem tradam, etiamsi hic mihi occumbendum fuerit. Quo scommate Joannes tam indigne habitus, ut praeter acceptam repulsam etiam contumelia sit conscissus, dissimulandam in praesentia indignationem animi putauit, non defore ratus tempus, cum illi per iugulum uerba reditura sint. Et uixisset in pectoribus Joannis haec contumelia, quam ille salutaria monenti inusserat, ni Kerecienius suae insolentiae poenas postmodum dedisset. Enimuero superbus animus cum adhuc secundae res ex sententia fluunt, non uidet quid aequum, quid maxime publicis rebus conducibile sit: putat se extra fortunae casus esse, supercilio coelum contingere. Et Kerecienius quidem Maximiliani potentia fretus, cum nondum a Turcis ad extrema redactus esset, Joannem recta et salutaria monentem contempsit, cum sane rebus Christianis

melius fuisset, si aeque postulationi contumaciam suam submisisset. Nec sane Joannem aliae mouerant caussae, ut periculi plenam ad Sulimanum profectionem susciperet, quam Cistibiscanarum arcium, quas Germanus inuolasset ac nominatim Julae restitutio: si quo modo eam aequis honestisque rationibus repetitam, in tutiorem statum redigere, in suamque tutelam recipere posset. Sulimanus quidem qua erat in Joannem indulgentia ultro illi eam regionem remiserat, pollicitusque fuerat, se uim omnem isthinc auersurum, si modo Maximilianus eos Tractus manifestis periculis obnoxios, Joanni restituere in animum induceret. Sed optime deliberatis fortuna pessime respondit. Nam cum illi siue fiducia sui tument, siue potentis hostis uires prae se eleuant, ac mordicus quae arripuere, retinere conantur: maluerant eam regionem arcemque Julam in Turcarum quam Christiani Principis imperium recidere. Qua ex re quid emolumenti illos manserit, nunc uident, si antea videre noluerunt.

Christophorus Batorius ad Kerecienium missus.

Dum ita Joannes publicis malis quassatisque Christianorum rebus mederi conatur, Jula interim a Turcis obsidetur, oppugnatur, ad extrema redigitur. Quo in statu cum Kerecienij res essent constitutae, statuit semel adhuc ejusdem animum de tradenda arce tentare. Quo uero magis aequis conditionibus maioreque fide et auctoritate res componi posset, Christophorum Batorium magni consilij et uirtutis uirum, Stephani, qui postea in regiae Maiestatis fastigium est euectus, fratrem natu maiorem, quorum sororem uterinam Kerecienius primo matrimonio duxerat uxorem, in castra Turcarum ad Julam ablegauit; ut eius opera Kerecienij pertinacia cum summa superbia coniuncta, si non sponte, belli tamen

malo fracta, ad salutaria tandem consilia redigeretur. Et si autem Kerecienij supercilium, insolentis hominis, non esset Joanni obscurum, in memoriam reuocanti, quam aspero dicterio eius nomen paulo ante lacessiuerit: seposita tamen nunc offensione, idem eum, quod ante petere non destitit. Neque magnam, neque nullam spem habebat Joannes, iam tandem ad extrema redactum Kerecienium sibi deuincire ad ineundaeque pacis et tradendae arcis conditiones pertrahere posse, praesertim cum Sulimanum potentem hostem, iam poene pedem posuisse in suae praefecturae arce uideret. Sed frustra omnia fuisse, euentus docuit. Nam et subsidium ante obsessam arcem Julam, a Maximiliano promissum, in magnam spem Kerecienium adduxerat: et immensae illae Maximiliani copiae prope certam fiduciam salutis praebebant, totis simul uiribus illum cum Sulimano decertaturum: cujus belli euentu, obsidio aut solueretur, si Turcae uincerentur: aut acrius oppugnatio redintegraretur, si uincerent: ac tunc tandem se honestis conditionibus cum uictore hoste conuenturum. Ergo Batorius ad Kerecienium missus, in castris apud Pertaum restitit. Cupienti in arcem intromitti, ac Kerecienio coram mandatum exponere uolenti, Pertaus recusauit. Qua propter conducticia opera Turcae unius et Vngari alterius usus, quod in mandatis habebat, Kerecienio exponendum curauit. Ille uel in tantis malis infractum adhuc animum gerens, negauit id se salua existimatione et fide sua facere posse, nisi prius Maximilianus Caesar, cui fidem suam uitamque deuouisset, peculiari mandato arcem Transiluano resignandam juberet. Malle se animam cum arce quam fidem amittere.

Ita repulsam iterum passus Christophorus, cum uel in illa eius obstinatione afflictam sororij fortunam salutari consilio leuatam cuperet, exaratam sua manu schedam ad Kerecienium furtim dare constituerat, in hanc sententiam: si penitus animum de tradenda Joanni Regi arce abiecisset, ferret fortiter oppugnationem, futurum enim ut paucis post diebus obsidionem Bassa soluturus esset, quippe uidere se, tantum non ad colligenda uasa omnes intentos esse, breuique haud dubie discessuros. Haec Christophorus: cuius pium conatum, aduersa fortuna euertit, parumque abfuit, quin Christophoro ultimum exitium adferret. Vocatus enim repente ad Bassam, cum inter loquendum, laxatis e digitis scheda humi forte decidisset, talaris uestimenti late diffusi limbis ita tecta est, ut barbarus cartam humi iacentem minime aduerteret. Hic trepidus solicitusque Batorius, quonam astu schaedam tolleret, quae se haud dubie in propinquum adductura fuerat discrimen, si a barbaro comperta animaduersaque fuisset: nil cunctatus, sudarium data opera sibi manibus excidi passus est, cuius praetextu de repente cartam simul sustulit, tanta dexteritate, ut a Bassa fucus non deprehenderetur. Post id colloquium iussus e uestigio redire in Transiluaniam Batorius omnem adiuuandam Kerecienij occasionem amisit. Haec ex ore ipsius Christophori, postea Principis Transiluaniae non semel audita. Hoc modo Batorius, cum nihil praetermisisset, quo pene conclamatam Julensium rem, ipsiusque Kerecienij animum ad meliorem statum reuocaret, ubi uidit se nihil salutare in medium consulere, atque efficere posse, re desparata, ad Joannem, qui tunc oppugnationi Tokaiense uacabat, redijt. Ergo

Kerecienius arcem Turcae dedit.

Kerecienius, nouem omnino dierum hebdomadibus superatis uarijs obsidionis periculis, cum se omnibus propugnationis praesidijs eneruatum, uictoriamque Turcarum in precipiti esse uideret, arcem Pertao renunciare constituit. Ita enim iam pene conclamatam esse salutem spemque retinendae arcis uidebat, cum nulla spes auxilij ex*) Caesaris uel cunctatione uel timore ostenderetur, ut in hanc tandem sententiam, quod ratio temporis et fortuna extorqueret, necessario discedendum esse oporteret. Proinde consilio cum primoribus militum habito, reque ad omnes tam Germanos quam Vngaros duces relata, communibus sententijs ita inter eos conuenit, ut fideli pactorum conditionumque internuncio adbibito arx dederetur.

Conuentorum interpres cuius fidei se suaque permittere deditijs placeret, Mahmud Begus Aradiensis delectus est, qui medius utrique parti interiectus, ita conditiones pepigit, ut militibus armatis, binisque cum uestimentis abire in tutum liceret, datis insuper currubus ad saucios euehendos. A Turcarum uero parte darentur tres obsides e primoribus, quo fides eorum maiori esset securitati. Hoc modo III. Nonas Septembris urbe egressi, uix dimidium milliare processerunt, cum Turcae ex insidijs effusi eos circumueniunt, a multisque pauci non tamen impune dissipantur. Victis effugio fuit proximum cannetum, in quod qua cuique proximum expeditumque erat, palati pene ad CCCC tandem per uaria discrimina in tutiora euaserunt. In his Joannes Ghicius et Stephanus Foelduarius, magnae uirtutis et dignitatis homines. Quorum ille celebris ordinum ductor Julae,

1566. Sept. 8. Turcae deditiois caedunt.

*) Itt a szövegből e két szó ki van törölve: »ex plus aequa«.

postea insignibus, functus in Transiluania muneribus, homo aetate confectus, exercitatione militiae dux ueteranus, maturo senio e uita discessit. Kerecienius ad Pertaum e fuga retractus, cum Punicam fidem Bassae exprobraret, captus et custodiae traditus est. Quo genere mortis fuerit sublatus, opinionum uarietas dubium fecit. Alij Belgradi lapidibus obrutum fuisse tradunt. Alphonsus Vlloa Hispanus, et hunc sequutus Joannes Leunclauius, dolio clauis acutis quaquauersum infixis inclusum, ac de monte praecipitatum esse uana narratione scribit. Joannes Michaël Brutus, clarissimus nostri seculi Historicus, conuiuio illum a Bassa Pertauo exceptum fuisse scribit, et cum leuissimo mortis genere tollere constituisset, hilariter epulanti, subornatus percussor, ita cuspidatam securim (ciakanum uocant Vngari) in uerticem ex inopinato intorsit, ut e mento repente eruperit. Sed plus ad fidem pondus habet, quod Petrus Deuecierius, *natione primum Christianus, deinde uir**) Turca, postea in Transiluaniam transfuga, ac Christianae iterum fidei addictus, Sigismundi Principis Transiluaniae Turcicus interpres ex oculorum suorum testimonio asseruit, in oppido Ciacka Belgradinae ditionis, ad fluuium Morauum, cuius opiduli praefecturam per id tempus ipse administrabat, uino e fecibus uini coctură expresso, quale passim in usu, iniecto ueneno, sublatum esse: ac in biuio quodam extra oppidum sepultum, lignea cruce, quae Christiani hominis sepulturam testaretur, uice monumenti affixa.

Kerecienij mors.

Quamquam autem Kerecienius necessitate uictus arcem Turcis dediderit, non defuerant tamen no-

Kerecienius a calumnia proditionisque crimine vindicatur.

*) A dűlt betüvel szedettek Szamosközy javitásai, e következő szavak helyett: uir insignis, olim Turca. (A bécsi codexben 39. lap.)

mini eius insidiantes, gentisque odio flagrantes, qui ex Julana clade elapsi proditionis illum apud Maximilianum Caesarem detulerint, quo ex obtrita summi uiri fama ipsi suam fidem et uirtutem constabilirent. Ita enim natura comparatum uidemus, ut iniquo fortunae arbitrio calamitosos ignominia quoque comes consequatur: proinde homines minus recte a natura et moribus instituti ad conuellendum afflictorum famam (quod facile factu est) temere ruant. Nihil mirum igitur, si Kerecienius, famae maleuolorumque praeiudicijs damnatus, odium hominum in se conciuerit, pronaeque in suspicionem inuidiae tempestatem subierit. Erat enim crudelitate in omnes; saeua in miseram plebem, quae longe lateque Julanae arci circumfusa erat, expilatione infamis: unde inuidiosas opes congesserat. Alebat peditum liberorum, nulliusque imperio subditorum, quos Haydunes uocant, plurimas cohortes: a quorum rapinis, nihil tutum, nihil pacatum ad Danubium usque ac circa locorum erat. Nec Turcarum solum, sed Christianae peraeque plebis fortunas, absque ullo discrimine in praedam conuertebant, ad tam perditum latrocinium ipso Kerecienio ducibusque alijs conniuentibus. Quorum tandem licentia, intollerabilisque malitia, Kerecienio perpetuam inuidiam, Julanae arci exscidium attulit. Accesserat ad conflandam Kerecienio inuidiam, Germanicorum cohortium, qui in praesidio erant, summa perpetuaque in Vngaros emulatio: dolebant se Vngari Ducis subiectos imperio. Germanicae indolis esse imperare dictitabant, non parere. Proinde saepe detrectare imperium: aut certe aegre se submittere. Deinde uero liberi pedites et uelites, quibus Turcarum consilia, et domesticae facultates cognitae exploratae erant, saepius excursio-

nibus factis, praedam omnis generis spoliaque in urbem inferebant, auctionique de more subiecta, solenni cum uictoriae spectaculo sub corona uendebant: quorum successum Germanus ocio torpidus, nec ad uelitares excursiones expeditus, aegris oculis intuebatur. Quae quidem inuidiae fomenta, diuturna asuetudine, in odium tacitamque simultatem uersa, saepius in rixas, nonnunquam in uulnera et caedes erumpebant. Hoc conceptum iam pridem gentis odium, intestinaque simultas, quae partes tacite exercebat, postmodum tota in Kerecienium effusa est, dum ille dedita arce a Turcis captus, cui iam diluere crimen integrum non esset, proditionis nefario crimine apud Caesarem Maximilianum est traductus. Qui eo facilius insidiosae calumniae aures adhibuit, quo timiditatis suae cunctationisque pudorem, in Kerecienium reijceret, eiusque temeraria, ut ille uolebat, deditione, suam infamiam, qua apud omnes Christiani orbis populos laborabat, dum neutri eorum arcium subsidio uenit, dilueret. At enimuero obscurum non est, in Kerecienio plurimum audaciae ad pericula capessenda; animum in publica dignitate ad gloriam et existimationem comparandam; fidem in Patriam, Regem; pertinaciam in rebus gerendis adfuisse. Quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit de suo cursu, aut spe aut metu dimouere. Nam et Joannes Princeps, ne quidquam luculentis promissis a sententia fideque Maximiliani Caesaris illum auocare in suamque pollicere tentauit, promissa illi Julae arcis perpetuae praefectura amplissimaque in Transiluania ditione, quibus antea Francisci Némethij Tokaij arcis praefecti animum expugnauerat. Jam et hoc summorum uirorum, qui e clade illa singulari numi-

nis diuini indulgentia erepti fuerunt, incorrupta fides testatur Kereciennium non prius ad dedendae arcis consilia descendisse, quam necessitate oppidanorumque obtestationibus fractus esset, ne nempe obstinatione sua, una cum arce tot piorum agmen perditum ire uellet. Ita communibus sententijs, pacta cum hoste incolumitate, de arce dedenda inter eos conuenisse. Etsi uero Turcarum perfidia Kerecienio non erat obscura, nondum oblitterata memoria Temesuariensis cladis, ubi ante annos abhinc XIV, consimili in casu Losoncius circumuentus ab ijs, trucidatusque fuerat, plane ut non difficile fuerit Kerecienio ex ijs alijsque cladibus documentum capere: maluit tamen, quod temporis et rerum necessitas extorquebat, periclitari cum suis, quam funditus perire, etiamsi tuta salutariaque eligenti consilia, euentus non ex animi sententia fauerit. Videbat et illud, ita deploratam esse spem auxilij, ut nedum Julae, remotissimo a Germanorum finibus Castello, subsidio esse Maximilianus possit, ut ne uelit quidem robur exercitus sui, in unius diei aleam ancepsque pugnae discrimen conijcere. Nec ullum unquam oppidum a Turcis obsessum auxilijs Germanicis periculo ereptum esse constabat, nisi propugnatorum uirtute et constantia fuerit praesenti discrimine liberatum. Sed enimuero sapientis est, cum ultima necessitate sit circumuentus, quoquomodo possit se periculo explicare; ubi nulla ratio salutis recuperandae non erit honesta, cum idem patriae laborantis necessitas extorqueat. Certe hic temeritas fortassis praeproperaque festinatio Kerecienij, non animi prauitas accusanda est, quod cum Pertauo de arce dedenda pactionem iniuerit. Nec enim dubium est, quin si paullo plus in toleranda obsidione perse-

uerasset, Turcae auersi animo a spe capiendi opidi, soluturi obsidionem paucis post diebus fuerant, magno cum suo exitio, nec minore cum gloria Kerencienij: praesertim cum Sulimanus ijsdem diebus ad Zigetum uita defunctus, omnem eam bellorum tragoediam interrupturus fuerit. Facessant ergo iniquissimae calumniae, quae uirum integerrimum, nefario proditionis scelere onerant. Neque uero haec obscuritas ita dubitatione inuoluit, nec uetustas tam deleuit, nec a memoria patriaque nostra, loci temporisque longinquitas ita remouit, ut superstitum ad huc, et qui his rebus gerendis non interfuerunt tantum sed et praefuerunt, luculenta testimonia, ex suorum oculorum fide, rerum gestorum ueritatem docere non possent. Sane quo crimine Kerecienium illi incessunt, ipsi eius magis sunt rei, qui illi periclitanti, et in extrema quaeque praecipitanti, ne una quidem cohorte militum suppetias uenerunt. Quem ueluti piacularem hostiam, hosti crudelissimo obijcerent mactandum, nec quicquam pensi haberent, uiueret, occumberet, dummodo hosti fortiter resisteret. Certe Sulimanus eo Christianis ignauiae, timiditatisque maiorem notam incussit, quod neutri illarum arcium auxilio ullo subuentum est. Ille autem uel morte sua uictoriam de uiuis et spirantibus adeptus est, quem nos nec uiuum nec mortuum lacessere, nedum bello, sed ne uelitari quidem prelio ausi sumus. Haec negligere, in his quae ad salutem omnium pertinent cunctari, tergiuersari, trepidare, animum submittere, supinum esse, magis scelus est, fraus est, proditio est, quam Kerecienij deditio, fortissimos uiros ad meliora patriae tempora reseruare studentis.

Equidem, quod satis apud omnes constat, Kerecienij nomini aliorum improbitas, proditionis labem

inussit. Nam Bernardus Rotenhaius cohortis Germanicae praefectus, et quidam Vilhelmus, patriâ Carinthius, ubi a Turcis Giulam obsessum iri accepissent *turpi formidini uerisimilem praetextum quaerentes ac de soluendo trimestre ineunte stipendio seditionem molientes arce se excessuros palam minitati erant, quo scilicet imminenti discrimini, honesto* (uterentur?) *praetextu se subtraherent.**) Kerecienijus re animadversa, factumque mali foedique exempli abominatus, *eos in custodiam tradi, sed postmodum certis pactionibus intercedentibus dimitti jusserat, tum alia praecauens, tum Germanorum rebellionem metuens,***) quibus qualibet leui de causa, iam plane in morem uertit seditionem coeptare. Hi postea dedita Turcis arce ad Imperatorem regressi, Kerecienium proditionis apud eum detulerunt iniuriae acceptae memores, eo maxime nomine, quod inconsultis suis arcem hosti renunciasset: cum tamen satis apud omnes constet, non prius Kerecienium de tradenda arce cum Germanis praecipuis quibusque et Vngaris consilium iniuisse, quam conclamata omnium salus, spesque deplorata propugnandi amplius oppidi esset. Nam in tota arce duos amplius menses ualidissime oppugnata certum est lacera omnia prostrataque fuisse, tum uero ob aegrorum sauciorumque multitudinem, ad omnia extrema propugnatores redactos fuisse. Interea autem noui isti Fabij, quorum erat periclitantibus subuenire

*) A dűlt betüvel szedettek Szamosközy oldalt irt javitásai, helyettök eredetileg e szavak állottak: clam arce profugientes, imminenti discrimini se subtrachere constituerant. (A bécsi codexben 43. lapon.)

**) A dűlt betüvel szedettek Szamosközy javitásai, helyettök a következő szöveg állott eredetileg: in eos a fuga retractos capitis supplicio animaduertendum statuerat, nisi exoratus uitam illis et libertatem donasset, rebellione Germanorum metuens. (A bécsi codexben 43. lap.)

dum arma expediunt, dum comitia peragunt, dum auxilia de more praestolantur, in quo rerum conatu circumagit se annus: illos deuota exitio capita, fidei et spei irritae, morte poenas dare impune permiserunt.

Quae turpis cunctatio, cum plerasque Vngariae arces perdiderit, illi qua sunt magnanimitate praediti, suum pudorem in Kerecienium, inque hos et illos solitis artibus detorquent, quo scilicet uideantur recte officio defuncti, extraque omnem culpam positi. Sed et hoc innocentiae Kerecienij luculentum documentum fuerat, quod cum Georgius Hoszutotius Vngarus, Caesaris Maximiliani nomine caduceator, ad Selimum, qui patri mortuo in imperio successerat, missus esset, ac Belgradum appulisset, inuenit ibi Kerecienium sub arcta custodia in uincula coniectum. Cum legati praesentia illi innotuisset, nihil prius habuit, quam sermonem cum eo conferre. Verum cum conueniendi eius potestas negaretur, licet Turcam custodem amplissimis praemijs huc pellicere niteretur, per literas se purgare, omnemque a se culpam amouere aggressus est: adeoque summis extremibusque precibus legatum Hoszutotium obtestatus est, precaretur Maximilianum Caesarem, ut seclusis paullum calumniatoribus, quorum rabies eam nomini suo labem inusserit, uelit pro sua in omnes indigne oppressos clementiâ, salutis suae patrocinium assummere. Se paratum esse offerre reum inimicis, et uel e uinculis caussam dicturum, modo libertatem qualemscumque e Turcarum immanitate, eius benignitate adipisceretur. Scire quidem se Julanâ praefecturâ, inuidiosâ admodum prouinciâ, multorum odia in se conciuisse, sed nullo suo merito. Nihil aliud esse facilius, quàm in summâ fortuna

Kerecenij ad Hosszutotium nuncium.

obtrectatores inuenire. Ipsam adeo inuidiam nunquam haerere in medijs, sed tamquam ignem summa petere, rerumque uerticem lacerare. Et quae esset tam innocens innocentia, quo suspicionibus contaminari non possit? fides tam sincera, quae sycophantarum morsus praecauere queat? Si totius inquit, uitae meae constantia, tot fideliter praestita in rempublicam Christianam merita, aliquid momenti ad iniquissimam meorum inimicorum calumniam diluendam afferre debent; age, nil recuso, quin in omnem uitam inquirendo, omnia dicta factaque, omnes denique actiones nudentur, excutiantur, examinentur: credo equidem nihil omnino capitale, nihil sanguine luendum, nihil adeo uel uerbo inclementiore castigandum, uel a Lynceis Momis in me inueniri posse. Testantur fidem meam cum summa cura et diligentia coniunctam, tot Turcarum excursiones feliciter a me profligatae, qui quot annis praefecturae meae regiones infestabant: tot hostium capitibus, murorum propugnaculorumque coronides oneratae: tot mancipiorum Turcarum, eorumque qui ordines duxissent numerosum in uariaque castella et oppida distributum agmen; arcis denique indefessa munitio, et quidquid ad hostes, urbisque tutelam attinet, nulla ex parte unquam remissum studium et diligentia. Quae quidem a me omni labore et solicitudine tamdiu praestita sunt, quamdiu de arcis salute necessitas, cui omnia humana parent, dubitationem extremumque discrimen imposuit. In his rebus cum multis annis summa fide fuerim uersatus, nemo unquam proditionis notam ne suspicione quidem nobis impegit. Nefaria quorundam lingua, quae magnitudinem aliorum allatrare solet, hoc extremum uitae,

recteque factorum apicem, indigne contaminauit. Arcem Turcis dedidi, non aliter quam nuperrime Losoncius Temesuarum, uir in omni posteritate memorabilis: uterque nostrum necessitate extrema uicti; uterque communibus omnium ducum suffragijs inducti; uterque miserorum ciuium obtestationibus fracti, ad extremaque omnia redactis rebus coacti. Si quid hic fraude, si quid proditione, si clam, si contra decus militare quicquam patratum est: esto, modo legitimae cognitionis actio intercedat, nullum sit tantum malum, quod pro sceleribus meis mihi non debeatur, nullum deprecor supplicium, quin turpem uitam, sempiterna infamia inustus, morte turpissima exuam. Sane si proditor arcius, fideique desertor fuissem, e uestigio rectaque ad Turcas, quibuscum pactum scelerati negotij clandestino intercessisset, transfugiendum mihi fuerat; nec post duos amplius tandem menses, quibus omnia obsidionis pericula constanter sustinui, sed uixdum obsessa ab illis arce, in eorum castra concedendum mihi fuisset. Verum enimuero quam nihil occultis consiliis egerim, satis testis esse potest animi recte sibi conscij uoluntas, cum me dedita arce, ad Imperatorem, ad meosque ac bona mea una cum caeteris dediticijs iter intendentem, uiolatis pro more pactis, a Turcis in uincula sum raptus. Obsecro, cur hic mihi clandestini sceleris, si quod inter me et Turcas intercessit, spes non suffragata est? Cur hi non minus me morte dignum, quam atrocissimi calumniatores mei iudicarunt? Sed caeci criminandi cupiditate insidiatores mei, eo nunc facilius omnia scelerum genera in caput meum ingerere possunt, quo mihi omnis diluendi potestas in praesentia ademta est: et cum illis ingens ad calumniandum fenestra pateat,

mihi ne rima quidem ad mei defensionem superest. Quae reorum essent adiumenta, libertas, fauor, testimonia, aequi iudices, locus, tempus, personae aliaeque rerum circumstantiae, omnia fortunae iniquitate erepta mihi esse uideo: accusatoribus omnia in promptu expeditaque esse. Si innocentiam meam coram clementissimo Caesare proferre explicareque possem, non supplicium deprecarer, sed praemium recte factorum postularem. Nunc itaque captus, uinctus ad extrema omnia redactus, a te uir optime, peto, precibusque adeo omnibus obtestor et oro, scribe ad Caesarem, adhibeat in tam afflicta innocenteque fortuna mea misericordiam. Auctoritate sua perficiat, quo libertati restituar. Non tam mihi dolori, quam uoluptati fuerit, si quid admisi piaculo extremoque supplicio dignum, legitima juris cognitione adhibita, inter meos, inque patria, de qua semper bene mereri studui, si periero. Tum uero, quod mihi exitio, idem ad aliorum documentum, salutare est futurum, dum taetrum facinus iusto supplicio, si modo commerui, castigabitur. Si uero nihil est sanguine dignum, nec quicquam commisi, ob quod merito plectar, id quoque propositum alijs ad imitandum exemplar, ad uirtutem et constantiam calcar fuerit, recte factis sua premia non defore. Laborum meorum luculenta testimonia exstant, non quorum sola nox conscia fuerit, sed qui in omnium oculis gesti sunt. Sexaginta amplius diebus obsessus et oppugnatus, dum promissa auxilia frustra exspecto, decies et quater ualidissimas Turcarum impressiones, magna uirtute et constantia sustinui, repuli, profligaui. Tot Turcarum promissa, tot minas, tot blandas fraudes, ueluti Sirenum fallacia delinimenta, surda aure praetermisi, aliosque, ut

praetermitterent coëgi. Cur interea, dum haec tam constanter et fideliter ago, gero, perficio, nulla proditionis initae indicia apperuerunt? Cur, cum ne hostis quidem ipse, ullam de eo crimine suspicionem mihi intentauerit, isti mei calumniatores eo scelere me traducunt? Non deprecor tormenta, non mortem si merui. Caesar ipse ad supplicium me hinc eripiat, precor. Nihil ipse iacturae pro me faciat: nullam pro redemtione, pecuniae summam expendat. Habeo ipse magni nominis Turcas captiuos, quorum commutatione libertas mea procurari poterit. Haec alterna salutis mutuae inter nos compensatio, non poterit Caesari clementissimo esse molesta, modo tua, amicorumque meorum studium et solicitudo intercedat. Haec et talia Kerecienius ad Hosszutotium et amicos scripserat, nunciandaque curauerat. Et Hoszutotius quidem cum pollicitus esset salutem eius sibi curae fore, paucis post diebus, eo quo diximus modo Kerecienius est e medio sublatus; siue ob exercitatam in captiuos Turcas crudelitatem, quorum magnam in arce Jula semper habuit copiam, uelitibus, quos Haramias uocant continua excursione clam palamque eos rapientibus, illoque quaestu uitam tolerantibus: siue quod tam diu arcis dedendae iamque adeo ad extrema redactae, tempus distulisset: multis interea Turcarum millibus in oppugnatione trucidatis, quorum diris manibus, huius piaculari supplicio parentari uisum est. Hoc modo Kerecienius, uir nec tali infamia, nec hoc interitu dignus, extremum diem uitae clausit; cuius mors, uel ideo uisa est omnibus miserabilis, quod ea improbissimorum hominum morsibus iniquissime est lacerata. Semper enim fuerunt homines, quorum mores ita sint comparati, ut nus-

quam alibi magis quam in aliorum miseriis fuerint procaces. Enimuero fortium uirorum interitus, uelut fabularum actus, ultimo exitu solet honestari. Qui quidem interitus, si honesta fama comes consequator, non mors, sed uita est censenda, cum ipsa memoria uirtutis, inter homines uiuax sit et perennis. At quorum exitus cum dedecore coniungitur, non absre gemina morte illi defungi putantur, una corporis, altera famae. Hoc mortis genus, cum Kerecienio uiro illustri, saeua fortuna inflixerit, sane aequum est, ut posteritas aequior, a tam ferali calumnia illum vindicet, cuius iudicium horum temporum falsissimis praeiudicijs potius saniusque est futurum. Filius Kerecienij Christophorus summae indolis et uirtutis adolescens, paternae cladis superstes, non diu patri mortuo superuixit. A Maximiliano Caesare enim iniquissimis praeiudicijs de laesa Maiestate damnatus, bonis omnibus, tam quae in mancipijs quam praedis habebat, exutus est. Qua de re, dum iure experiendi potestatem non intermissis precibus a Caesare efflagitat, siue ueneno, quod fama emanarat, siue alio quopiam necis genere interceptus, a stirpe interijt. Filia quoque Juditha, quam unicam habebat, e Christophori Stephanique Batoriorum Principum sorore suscepta, ac primum Christophoro Hagmasio in Transiluaniam, deinde eo defuncto Francisco Doboni in Vngariam, honoribus et opibus claris proceribus nuptum data, et ab hoc quidem septem liberorum sed non superstitum per interualla mater, orba uitam finijt, totumque genus Kerecienium fatali interitu postrema clausit.

RERVM VNGARICARVM
LIBER SECUNDUS.

ARGVMENTVM SECVNDI LIBRI.*)

Interea dum haec ad Julam et Zigetum, uarijs casibus, uariaque fortuna administrantur, Joannes quoque Secundus Transiluaniae Princeps, ubi primum a Sulimani ad Belgradum congressu domum redijt, nihil prolatandum ratus, ne cunctantem occasio aliqua praeter opinionem ingruens retardaret, summo delectu copias conscribere coepit, conscriptis stipendia cum fide exoluere, populorum Transiluaniae tripartitorum, Siculorum, Vngarorum et Saxonum, omniumque adeo animos in se firmare, magnam uim commeatus et telorum comparare; ac uno eodemque tempore, quo Sulimanus Zigetum et Julam, Tokaium ipse obsidere constituit. Dolebat enim se Tokaio Transiluanici Imperij ualidissimo claustro a Lazaro Suendio superiore bruma per uim exutum esse, qui Francisco Nemethio arcis propugnatore interfecto, una cum praesidio omnem eius tractus regionem cum opidis et castellis in Maximiliani potestatem redegerat. Accedebat iactura triginta tormentorum uarij generis, et omnium quae ad propugnandum usui erant, commeatus, telorumque ingens uis: quae Joannis animum ad recuperandam arcem uehementer acuebant. Videbat et illud, sibi nisi mature prouideret, omnem ad Cassouiam regionem, omniaque castella amisso To-

(1566)

Joannes Princeps bellum mouet.

*) Argum. egy lapnyi üres hely van hagyva a bécsi codexben.

kaio, breui interceptum iri; arctatis in angustumque reductis itineribus, quibus itineribus auxilia illis suppetias uenire possint.

Joannes Sacam obsidet.

Ante vero quam Tokaium duceret Joannes, ne quid a tergo interueniret, quod illi impedimento foret, Sacam et Baium castella Varadiensis regionis, quae superiore anno Suendius non tam iusto quam tumultuario bello occupauerat, impositoque Germanorum praesidio firmauerat, recipiendum constituit. Sacam a Sacis Scytarum populis, qui in commilitio Vngarorum eam regionem occupauerant, denominatum esse, si non certa fides, opinio esse potest. Arx naturâ magis quam arte munita, in Berkij amnis late effusam paludem insinuatur. Tota enim ea regio in uastam euagata planitiem, quam Chrisij, Berkij, aliorumque amnium sempiterna alluuio complanauit, raris siluis, frequentibus arundinetis, in immensumque excurrentibus campis pecuariae alendae idoneis, hispida uisitur: neque facile usquam, etiamsi quaeratur, saxum occurrit, uliginosis agris omnia occupantibus. Occupatam arcem Suendius ualidioribus munitionibus firmauerat, militumque cohortes, qui Varadinensium facultatibus imminerent, agrosque uexarent, imposuerat. Nec uero segniter hi mandata obibant. Inde enim uelut e lustris, non tam bello quam latrocinio et furtis, uelites, praedones, àbigei omnia loca circum infesta faciebant. Quamquam autem arx ualido esset praesidio munita, non uana tamen ductus opinione Joannes, sperabat se eam in potestatem redigere posse. Ne uero armis prius, quam consilio et monitis ad rem aggrederetur, animos obsessorum misso fetiali de arce dedenda pertentare uoluit. Quod frustra fuit. Siue enim arcis

munitione freti, siue fiducia uirium tumentes, bipartito scissas Principis literas, quibus uim abfuturam incolumitatemque illis spondebat, si arcem sponte reddere in animum inducerent; ac legati pileo assutas, et quo maiorem Principi stomachum facerent, uinctis post terga manibus, in castra illum emiserunt, adiecto responso: se ab armato hoste consilia non capturos; si quid in arce iuris haberet, armis non verbis persuaderet. Joannes insolenti facto responsoque irritatus, lentitudinem animi in pertinaciam uertit, obstinatioreque protinus conatu rem aggressus est. Quapropter positis in conspectu arcis, castris, admotisque tormentorum machinis, uix sibi duces persuadere poterant, sine magna suorum clade tanti momenti arcem expugnari posse, cum tota castelli regio caricosis paludinosisque impedimentis obsessa, nec ad uineas aggeresque agendos, nec ad tormenta locanda dirigendaque ullam commoditatem subministraret. Vna solum ex parte angustum aditum, eumque multis fossis interruptum haberet: cetera aquae limique gurgite omnia occupante, non nisi lintribus superari possent. Nihilominus duces haesitationem in fiduciam uertentes, quae ad oppugnationem usui erant, summa diligentia comparant, non ignari cuiusque rei potissimam eamque dificillimam partem principium esse, quo rite beneque facto, cetera perfectu procliuiora fore. Fossa ergo e regione arcis, quam proxime potuit, ducta, qua maxime ictibus opportuna uidebatur, corbes, sepimentaque glareosa humo lapidibusque farta subducunt, quae tormentis dum eiaculantur, praesidio utrinque à latere sint. Ita dum aliquot diebus pilas complures in munimenta ligneosque muros aggeribus suffultos pertinaci dili-

gentia contorsissent, propugnatores uisa uallorum strage, primum trepidare, mox iactis in sublime pileis, et hastarum apicibus affixis uestimentis, quod deditionis signum erant, cum Joannes stomachi paulo ante facti memor, proposito tenacius instaret, nullasque deditionis leges admitteret, tandem trepidae Germanorum cohortes, ad nouum flagitium animum appellere coeperunt. Plures enim numero, cum salutis unius, non pudoris et fidei essent memores, de aliter dedenda arce inter se consilia agitare coeperunt, sperantes fore, ut ubi uoluntaria deditio facinorosa fieret, salutem sibi apud hostem aequioribus conditionibus impetrare possent. Quod cum praesidij praefectus Andreas Bay, natione Vngarus, magni uir animi et manu promptus, admonitus a suis cognouisset, tantum abest, ut illos a foedo incoepto dehortari, in officioque continere potuisset, ut potius concursu facto, captoque ac uincto duce frustra renitentibus Vngaris, non officij, non fidei memores, arcem una cum praefecto tradiderunt, quem uinctum ac multis plagis affectum, dum impio illorum facinori repugnat, in castra cymbis impositum emittunt, praecantes Joannem ut saluis corporibus in tutum abire dediticios permitteret. Per se non stetisse, quin ante omnem armorum sonitum, Regi arx dederetur: praefectum Andream in causa fuisse, qui pertinaciam suae omnium internecioni coniungere maluerit, quam clementiae Regis se submittere. Ita flagitiosam salutem impetrantes, Joannes et iniuriae oblitus, et pactae incolumitatis fideique religionem pluris faciens, quam illorum improbitatem, quibus sancta fides in ducem suum non fuisset; singulis in uestimentis semiermes dimisit. Qui non ausi uel ob frequentes Turcarum

Saca deditionem facit.

Tartarorumque palantes turmas, in Vngariam imperatori subiectam, uel ob desertam fidem, proditumque castellum ad Suendium redire, Varadinum Joanne non recusante se contulerunt. Unde postea sensim deposito pauore in Vngariam dilapsi, Joanne ipso acerbiorem officij uindicem sunt nacti. Quotquot enim Suendius palantes comprehendit, laqueo ad unum castigauit: quod aliorum perpetuo esset documento, ut in praesidio quod tuendum suscepissent, fidem iuxta ac animi constantiam adiungerent, nec nisi cum uita eam amitterent. Taetro facinori caussam dedisse putatur, innatum in Vngaros gentis odium, quae non solum alienigenae, sed ne populari quidem duci facile paret, quin in seditionem leui qualibet de causa erumpat. Germani ad CCC. Vngari LX. prasidio arcis fuerant impositi. Andreas moerore animi et uulneribus saucius, cum dolorem non sustineret, paucis postea diebus in castris Joannis uita excessit, quem Rex ob uirtutem et animi constantiam, quae uel in hoste laudatur, honorifice sepeliendum curavit. Capta Saca, Bajon quoque castellum receptum est.

Tokaium Joannes frustra obsidet.

Hinc Joannes cursum uictoriae suae secutus, Tokaium duxit, non eundem tamen belli exitum habiturus. Eo uero festinandum occasionemque praeripiendam censebat, quo maius à Sulimano immineret Maximiliano bellum, quam a se. Nam dum ille Zigetum et Julam oppugnat, uniuersamque adeo Vngariam more procellae infestis quaquauersum exercitibus inundat, Joannes ueluti post principia pugnans, maiorem sibi commoditatem ad expugnandum Tokaium praebitam esse existimabat. Nec eum spes destituisset, nisi serior ad oppugnationem aggressus esset. Sub exitum enim Augusti mensis Tokaium

obsedit: quo iam tempore prona ad uictoriam Turcarum fortuna, obsessarum arcium statum poene deploratum fecerat, fataque Sulimani interitum appropinquabant. Quae quidem paucis post diebus, tum Joannis crescentibus successibus, tum toti bello Turcico finem imposuerunt. Sequebantur Joannem praecipui Transiluanie proceres, multaque adeo regni nobilitas, quae ex lege suis quique stipendijs militabant: tum uero conductitiorum, qui uel equo uel pedibus merebant, ingens numerus erat: et Siculorum pars qui superioribus temporibus rebellionis exsortes in fide regia perstiterant, magnum et optimum exercitus supplementum aderat. Nam reliqui ex hoc genere ob coeptatam rebellionem perduellionis damnati, tributarijque facti, ceterorum colonorum instar seruitutem seruiebant. Naues quoque fluuiatiles, celoces, pontones praeterque actuarias, lintres magno numero, aliaque nauigia, partim ex singularibus roboribus excauata, partim ratibus tabulisque coassata, exaedificanda Joannes curauerat, quae secundo Chrysio Varadinum demissa, inde onerarijs plaustris, magna mole Tibisco sunt expedito loco illata. Ex ijs in seriem dispositis pontem Tibisco imposuit, partim rudentibus catenisque eas adstringens, ne temere ad impulsum undarum uacillarent: partim sepimenta in corbium formam ex ualidioribus uirgultis contexta, ac lapidibus glareaque confarta in profundum deijciens, quorum retinaculis fluitantes pontones caeco uado suspenderentur, ac tamquam ancorae illos fundarent. Nam Tibiscus ob profunditatem, sublicij pontis impatiens, ubi primum e Sarmaticis montibus se expedijt, in planioraque Vngariae decucurrit, nonnisi pontonibus nauigijsque traijcitur. Hoc modo Joannes reli-

gatas ad uadum naues, trabibus roboreisque asseribus consternens, tutum expeditumque exercitui impedimentisque iter praebuit. Praeerat id temporis Tokaio Jacobus Ramingerus praestantis uir animi, propugnandique artibus instructus, quem bene sperare iubebat summa eorum facultas, quae ad sustinendam obsidionem praesto in arce erant, tela omnis generis, commeatus, copiae, tum ipsa arcis munitio, quae aquarum indagine circumuallata, difficilem omnino expugnationem faciebant. Nam et Suendius superiore bruma irritam sane ibi nauasset operam, nisi temporis asperitas obsessis inimica, obsidentibus amica, amnesque conglaciati, praecipiti ex insperato uictoriae fauissent.

Ergo Joannes traiecto per ocium exercitu, qui X. millibus hominum constitisse dicitur, Tokaium obsidet. Reliquam copiarum partem domi ad regni tutelam, si quid forte aduersi praeter spem ingrueret, reliquerat. Eodemque tempore Tartarorum quatuor millia, Turcarum duo, duce Ferhado Begho Zolnokiensi, quos Joannes multa largitione sibi conciliauerat, Sulimano mandato praesto fuerunt. Mox omnis arcis regio tripartito quaquauersum occupatur. Ne uero unis castris cuncti miscerentur exercitus Turcarum, Kereszturum oppidum uersus consedit, qua mons sublimis, primae notae uino nobilis, praecelso atque edito cacumine Bodrogo imminet. Tota autem eius loci facies talis est, ut Sarmaticorum montium uiniferae radices, quae eam Vngariae partem passim percurrunt, ad Tibiscum usque euagatae occursu eius finiantur. Horum montium pars nobilissima, ad Tokaium, ueluti detrimentum sui, ultima editissimaque coronide pensatura, in altum assurgit, arcique paene

incumbit: ac uelut ingens promontorium, Cistibiscanorum camporum diffusi in immensum aequor, quod oculis terminare nequeas, longe lateque prospectat. Tartarorum agmen patentiores campos, qui Madum et Thaliam uersus panduntur, occuparunt. Joannes uero cis et ultra Tibiscum, nauigiorum pontisque commoditate fretus, consedit. Ita trifariam diuiso exercitu primum leuia praelia per triduum sine ulla magna illata acceptaque clade commissa sunt. Semel tantum prope iusta pugna pugnatum est. Cum enim Jacobini eruptione facta, castra Joannis, et eos qui in munitionibus erant, adoriri statuissent: commissa pugna, tam trepidi, non paucis desideratis compulsi sunt in arcem, ut complures ex Transiluanis terga fugientium caedentes, subter suspensas portarum cataractas, moenia intrare potuerint. Hoc terrore Joannes satis coërcitam hostium excursionem ratus, ad ipsam oppugnationem animum intendit. Quo circa Georgio Capitano, uiro strenuo, et aulicarum cohortium duci, negocium dat, ut munitionibus ex aduerso arcis, quam proxime fieri possit, exaggeratis, tum uero corbibus ingentibus glareosa humo refertis, idoneoque loco positis, tormenta deducenda, ad uerberanda moenia curet. Cui dum ille sedulo instat, ac nunc huc, nunc illuc partim opis ferendae, partim operas instruendi gratia discurrit, pila tormenti per foemora traiectus, uitam cum honesta morte commutauit. Indoluit Rex fortis uiri casu, quo uix toto exercitu nobiliorem factis et fama habebat. Dux cum saepe alias memorabilis, tum praecipue singulari certamine cum Hubiare Aga Turca obito clarus. Hic in Zonda arce degens, cum bello captum mancipium Turcam fide sua tamquam uade interposita,

Georgius Capitanus interficitur.

a capitano e uinculis impetrasset, ac postea Turcica perfidia fidem datam fefellisset, nec mancipio, nec quod pro redemtione illius inter eos conuenerat, remisso: Capitanus iniuriae impatiens Hubiari perfidiam exprobrauit, simulque illum certo loco temporeque designato, in singularem pugnam, quae morte alterutrius clauderetur, prouocauit. Ad Buiacum castellum depugnatum est. Victus Hubiar: cui ne uita eriperetur, sequestres pugnae intercesserunt. Capitano ad munitiones interfecto, ita animum plerique summisere, ut deinceps re ueluti desperata, obsidio magis quam oppugnatio fuerit. Proinde et Joannes militibus suis parcendum censebat, sedendoque duntaxat, se expugnaturum arcem sperabat: et Turcae cum Tartaris, tamquam in alieno negotio, quod parum ad se aut nihil pertinere putabant, segniores oscitantioresque erant. Ita alterna negligentia rem corrumpentes ne obsessi pariter et obsidentes torpore marcescerent, eruptionibus illi, hi uelitationibus, uario ac ancipiti euentu subinde pugnarunt.

Memhetis Basae ad Joannem nuncium.

Quae dum ita in castris ad Tokaium geruntur, Memhet Bassa, secretiorum consiliorum praeses, quam Vezerum appellant, renunciat Joanni Sulimanum ingrauescentis iam aetatis detrimento mortem obijsse. Cuius et si in persequendo bello uoluntas, matura quidem aetati suae, sed intempestiua suis morte interpellata sit, non tamen inultus amiserit animam, fortissimo praesidio Regi Germanorum per uim extorto. Tu itaque inquit, ne morte eius nostrum in te studium et beneuolentiam deletam esse quaerare, haec tibi imprimis significanda esse duximus, quae etiam a nostris caelata adhuc absconditaque sunt, ut quod e re tua tuorumque maxime fore putabis,

in tempore, quid facto sit opus prouideas. Si potiundi castelli, quod oppugnas, spes aut nulla aut exigua ostendit abiecta omni cunctatione domum properes; ne uel Tartarorum fraude sis obnoxius, qui cognita Imperatoris morte, concitandae in te seditionis licentiam sunt arrepturi; atque hoc modo te tuorumque salutem in discrimen uoces: uel auxilijs Turcarum subito destitutus, Germanis praedae sis futurus, et quod putasti fore adiumentum, id tibi in exitium uertat. Vt quaeque res est ancipitis periculi, sic maxime et maturissime prouidenda curandaque scito. Hoc accepto nuncio Joannes, nihil in tali casu cunctandum ratus, quanto maximo potest silentio, suos uasa colligere iubet, nauigiorumque usus opportunitate, eadem nocte cum prima quies ab hostibus rerum ignaris fuit, agmen Tibiscum traducit, impedimentaque omnia, et quidquid perturbatus rerum status auferri patiebatur, Debrecinum ac inde Varadinum praemittit. Nauigia pontibus sustinendis uado haerentia, tum uero pontones, transuectandis oneribus accomoda, partim flamma corrupit, partim Tibisci gurgitibus demersit: ne hostibus ulli usui adiumentoque esse possint. Ne uero subita res, et nocturna profectio, suae fortunae consilium perturbaret, aut abeuntes terror quispiam percelleret, quasi desperatione rerum suarum, metuque coacti obsidionem soluissent: suos ipse a tergo longo interuallo insecutus est, fortissimorum militum stipatus manu, ut si hostes tardum impedimentis agmen incursione infestaturi essent, a ui inferenda eos prohiberet. Ita Joannes Princeps octo solummodo diebus ad Tokaium haerens, adeoque oppugnatione arcis uix incepta nullaque re memorabili gesta, dolens fremensque impor-

tuna Sulimani morte occasionem sua a Germanis recuperandi euersam esse, Varadinum tutum pacatumque agmen reduxit. Erant Joanni in castris fortes prudentesque rei militaris duces, tum uero exercitus e ueteranis diuturnisque stipendijs claris equitibus comparatus, quos ex Vngariae cladibus superstites, uelut e maximo naufragio, in Transiluaniam uti tutum tranquillumque portum, subinde Joannes largis inuitatos stipendijs contraxerat. Hi quoque, qui stipendia pedibus faciebant, in omnem duritiam roborati, ueluti castrensis ratio postulabat, pars exercitus erant; plurimum audaciae ad pericula capessenda, animum ad obtemperandum ferentes. Quamquam autem talibus ducibus, talique milite Joannes hanc expeditionem fuerit aggressus, minime tamen periculum, quod a Tartarorum auxiliaribus copijs imminebat, praecauere potuisset, nisi significata a Mehmete tempestive Sulimani morte, nefarij illorum conatus essent praeoccupati. Re omni aevo magno documento futura, ne quis unquam ita externis auxilijs fidat, ut non plus sui roboris, suarumque propriè uirium in castris habeat. Quis enim facilius opprimi, quam a suis commilitonibus potest ? cum omnis fraus, omnesque insidiae proniores expeditioresque habent successus ad inferendam quam propulsandam iniuriam. Nec sane periculum quod dolo intenditur, tam facile caueri; quam quod manifeste infertur depelli potest: cum et plus animi inferentibus, quam repellentibus periculum sit. Saepe etiam usu uenit, ut priusquam circumuenti dolo arma expediant, opprimantur, et quam ex pauore recipiant animos, dissipentur. Etsi autem Joannis exercitus altero tanto maior fuerit, quam Turcarum et Tartaro-

rum, magna tamen nec opinantibus Transiluanis, inferri clades ab illis potuisset, nisi matura prouidentia, quae uirtute duce, comite fortuna acquiritur, rerum euentui in perniciem subitam procliui Joannes praecauisset. Nam et illud fama ferebatur, Tartaros Sulimani morte intellecta, ubi primum Joannis milites ad faciendam impressionem, moenibus arcis conquassatis, succederent, statim ex improuiso Joannis exercitum a tergo infestos adoriri uelle, eo omnino consilio, ut deletis Transiluanorum copijs, nemine postea obstante prouinciam praesidio nudatam, qua illis recta in Tartariam redeundum fuerat, inuaderent, praedaque acta ad suos impune redirent. Dolum perfidae gentis Turca quendam Joanni subindicasse, qui non ponens rumores ante salutem, soluendae protinus obsidionis consilium caeperit. Haec dum in hunc modum, mimime ex Joannis animi sententia geruntur, ubi Rex nullam amplius ad Tokaium recuperendae arcis spem sibi reliquam esse uidit, eo quo diximus modo obsidionem soluit, ac simul Tartari quoque ac Turcae, qua cuique opportunum fuerat, diuersi abiere; omnem circa regionem longe lateque uastis depopulationibus et incendijs foedantes.

Et Tartari quidem, gens ad pedestria bella rudis, equitatu ad praedandum prae alijs habilis, tota ea aestate inopinis excursionibus, eam Vngariae oram quam Tibissus et Samus ultro citroque alluunt, non copia solum omnis generis frugum abundantem, sed et uicorum opidorumque frequentia cultissimam, miserabili uastatione depopulati sunt. Nam uniuersa fere Vngaria arcibus munitissimis quidem opportunoque loco positis non caret, ceterum opidis muro

circumdatis, quae rabiem grassantis hostis remorari possent, non usque adeo abundat: quae ratio facit, ut repentinis incursionibus uici pariter et oppida sint obnoxia, quae nec praesidio firmari, propugnaculis et muris destituta, nec ciuium priuatae aedes ad uim sustinendam, inopinosque casus pares esse possint. Ita qua crudelissimae gentis rabies incumbebat, ueluti gurges quidam altissimus aut uorax Charibdis omnia absorbeat, perdebat, consummebat, uastatione agros, caede homines, publica privataque omnia tecta incendijs abolebat: plane ut nihil praeter moram omnium uastitatem postliminio reuertentibus ex fuga incolis superesset. Ac dum ita in omni Vngariae viscere, tam tetra pestis grassatur, multa plebis miserae pars, apud quos dirae gentis aduentus, passim rumore populari ircrebrescebat, id quod in tam misero tempore fieri necesse erat, in tempore imposito plaustris liberorum et matrum graui agmine, qua cuique pauor et casus uiam ostendebat, peregre rapiebant iter, ne inopina clade oppressi, cunctationis poenam luerent. Multi dum rem prolatant, confidentiamque ante salutem ponunt, tarditatem repentina pernicie claudebant. Hoc modo quandoque ducenis trecenisque plaustris, ut quemque fugae sors in eundem comitatum dissipatos coniungebat, profugi cum paruis liberis, et siquid ex incendio patriae in eadem plaustra conuasare licebat, solum uertebant, patriae excidium suamque fortunam complorantes: quandoque aut in fuga perituri, aut unquam ad lares patrios redituri. Nec raro fugientes assecutus hostis, inermes ab armatis de improuiso trucidabantur, aut in foedam seruitutem morte acerbiorem rapiebantur : pauci mortis aut captiuitatis acerbitatem

Tartari ad Vngariam postulandam aggrediuntur.

precio redimere cogebantur. Quos uero aetate teneriores fortuna acerbius plectendos statuerat, ij feralis gentis sacris et sanguini miscebantur. Etiamsi autem non raro contingat, ut hi patriae, parentum, fideique sacrosanctae memores, coelestis doctrinae reliquias intus in animis inclusas quandoque retineant, uix tamen per tot barbaras efferasque gentes reditus in patriam illis aperitur, nisi se aut mortis aut seruitutis periculo iterum se committere uelint. Tales permulti Zigetana et Julana clade a Tartaris in seruitutem rapti, in Tartariamque abducti, necdum linguae patriae suorum, fideique Christianae obliti, postliminio ad suos se furtim receperunt, dum eadem Tartarorum colluuio, duo de trigesimo post anno, his perditis temporibus iterum se in Vngariam uastandam infudisset. Et hi quidem refugae, foedo illorum contubernio se subtrahentes, uix a suis popularibus tandem, indicibus et indicijs quibusdam agniti, non sine ancipiti periculo recepti sunt, seque in unius horae tradiderunt uel salutem uel discrimen. Nam nonnulli, dum abs Tartarorum agmine aberrasse, transfugiumque simulare putantur, a rustica plebe, re non accurate expensa, trucidati sunt. Multi contra fuerunt, qui a teneris ita dirae gentis perdita sacra imbiberant, ut aut integrum illis non fuerit à cetero comitatu desciscere aut obliti Vngarici sermonis, et desperantes ne a suis olim popularibus ementiti transfugij insimulentur, extremoque suplicio aut tormentis afficiantur, patriae suorumque caritati, seu pertinaciam, seu trepidationem praeposuerunt, ac non solum comites eius expeditionis fuerunt, sed et ductores praefuerunt. Haec tam sunt miseriarum omnium miserrima, tamque miserabilia, ut prae his acer-

biora toleratu ne excogitari quidem possint. Ergo Sulimanus dum Zigethi et Julae oppugnationi uacat, ne qua pars Vngariae immunis a belli cladibus supersit, utque Maximiliani uires, ad ferenda affectis partibus auxilia uarie distrahat et infirmet, Tartaros ad uastandam superiorem Vngariam destinauit. Neque animus, neque facultas defuit exequentibus immanissimi tyranni imperium. Nam in plures cohortes distributo equitatu, eodem poene tempore Tibisci Samijque regiones,ac quidquid ad Carpaticos usque saltus ex Vngaria erat reliquum, longe lateque inundarunt.

Hac calamitate cum ea regio plecteretur, Cassouiae totiusque circa prouinciae cum imperio praeerat Lazarus Suendius, corporis iuxta ac animi magnitudine, militarisque laudis opinione uir insignis, quem Maximilianus Caesar, non dubius quin taetra Tartarorum barbaries, sese in eam regni partem infunderet, ueluti clypeum Achillis cum aliquot Germanorum cohortibus illis opposuerat. Is accepta Prouincia, Vnguari consedit, quod opidum ad citimas Sarmatici montis radices situm, Vngariam illam a Polonia secludit. Forma opidi insularis est. Nam illud edito loco praeclaroque ad aspectum positum, praeceps amnis Vngus, unde opido nomen, diuaricatis brachijs, amoenissimo limpidissimoque fluxu circumdat. Arx oppidi lateri ad orientem solem in summo adhaeret, Homonnaeorum procerum perantiquum patrimonium, quod eorum maiores a Carolo Vngariae Rege fidelis obsequij et meritorum praemium accepisse dicuntur, postquam Druget, cuius posteritas ab oppido Homonna cognomen est sortita, Felicianum Vngvariensis Regionis late regulum, qui Caroli Regis uitae apud Visegradum insidiatus fuerat ob-

Lazarus Suendinus ad Vngvarum considet.

Unguari opidi situs.

truncasset, Regemque praesenti periculo exemisset. Loci commoditatem secutus Suendius, oppidum naturali munitione ingenioque ualidum operibus quoque obfirmare statuit, ut si quid grauioris periculi ingrueret, sibi profugaeque multitudini tutum illic paterit refugium. Ita namque per omniâ naturâ uelut opere atque consultu praeceps est totus oppidi cliuus, ut non multo labore adhibito aduersus tumultuarias excursiones praemuniri potuerit. Et cum hinc eousque pandatur uasta camporum planicies, quam uisu uix complecti queas, a septemtrionibus uero et oriente, Sarmatici montes ejus opidi territorium claudant: non dificile fuerat Tartaris campis assuetis, equitatuque ocyssimis, hucusque tractum omnem peruolare uastareque; praesertim cum nemo fuerit qui aduentum eorum intercludendum aut retardandum ualida militum manu curaret. Suendius igitur nactus locum suo munimento utcumque ualidum, auitis undique edicto operis ualidius Vnguarum obfirmandum statuit. Arx uix aliquot cohortium capax, nec tolerandae hostili impressioni par, nec confluens isthuc undique miserae plebis agmen tuta custodia claudere poterat. Caesam itaque materiam et in trabes conformatam, ualli instar solo defosso in ordinem digerendum circumquaque curauit. Quae murorum constituendorum ratio, Vngariae populis, praesertim, cum tumultuaria opera muniendum aliquid est, trita usitataque est. Id in hunc modum confit. Singulae trabes paribus inter se spacijs solo eriguntur, quae pedes binos ab se distant, et ne dissoluantur, craticio sepimento obuinciuntur. Quia uero singularis hic paries, ad uim maiorem hostium sustinendam imbecillior est, quam debet; introrsus alius ordo uallo-

Suendius Unguarum munit.

rum ad duodenos pedes remotus surgit, qui similiter uirgultis iligneis sepiuntur. Is ordo, altero dimidio humilior est. Ne uero craticei hi muri a se inuicem discessionem faciant, aut tormentis admotis diuellantur, ualidae sublicae in dorsum procumbentes per medium eos obuinciunt colligantque: quorum intermedia aggeribus ita confartiuntur, ut tormentorum ictibus ferendis diu paria esse possint. Foris hi muri, luto probe subacto depsitoque uestiantur atque incrustantur, ne nuda sepes hostili ascensui obnoxia esse possit.

Lazari cunctatio non Fabiana.

Hoc munimenti genus Vnguaro Lazarus praetendens, eo se cum suis recepit, unde hostis infestissimi, omnem circa tractum uastuntis progressum et grassationes, uelut e specula obseruaret magis quam propulsaret. Cuius cunctatione tantos sibi spiritus Tartari, tantamque audaciam succesu praedandi sumpserant, ut barbara temeritate dulcedineque praedae (ut fit) longius progressi, ad Vnguari usque uicinam populabundi excurrerent, pecora cum hominibus abigerent. Nec erat quisquam qui illorum licentiam et audaciam, que naturâ insolens est et superba, remoraretur. Torpidus ocio Germanus miles ac sagina confertus, equo peraeque abdomine grauido, tum uero inerti ferro oneratus magis quam armatus, nec assequi pernicem hostem, nec assecutum gladijs ad ictum inhabilibus lacessere poterat. Quo circa parietibus oppidi inclusus, impune grassari circum hostem latrocinabundum sinebat, uillarumque passim fumantium cladem ociosus circumspectabat. Nam indigenae Vngarorum proceres, in quibus plus aliquanto spei repositum fuerat foedam barbariem remorandi, in superiorem Vngariam a Maximiliano Caesare edicto aucati fuerant, quo factum ut nec domi auxilio suis

adesse, nec illic quicquam ad rerum summam momenti afferre potuerint. Enimuero res minime erat tanti momenti, quae a uiro duce, bonaeque spei et animi, confici non potuisset; ni inter spem et metum haesitare magis, quam animum ad rem gerendam appellere Suendio cordi fuisset. Nam treceni, quandoque plusue minusue Tartari uillas et oppida impune inuadebant, dissipatique et latrocinij magis quam belli more discursantes grassabantur, e quibus uel plebs agrestis temere palantes quosdam trucidabat, capitibus a ceruice reuulsis, ac saepium praeacutis palissadibusque more militari praefixis. Bina eorum millia, ab Lelezo (quod opidum incendio deleuerant, solo archiuo, quod Capitulum uocant, incolumi) ne Vnguarum perrumperent, solertia plebis fugitiuae factum est; quae ut tantorum malorum, quibus uexata erat, solatium aliquod caperet, globo facto, in siluis passim illis, temere palatis hostibus insidiabantur, cum uiderent eorum animos, quorum erat hanc pestem e uiscere patriae profligare, ad tantam malorum molem deplorata desidia torpere. Silua est ingens Lelezo Vnguaroque interiecta, foeda illuuie Labarcij amnis in altas caenosasque paludes euagantis, perfusa: ubi uergiliarum praesertim sidere occidente, udisque anni mensibus, non currubus duntaxat, sed equiti quoque imperuia est omnis uia. Haec loca graui proluuie madida cum Tartari laborioso equitatu, quo plurimum pollent, noctu superassent, ut transiluanam plebem uicatim opidatimque degentem inopina clade conficerent: agrestes profugi, qui eodem penetrauerant, nemorumque praesidio se texerant, arborum immanium sublimes truncos, siue fulminis ictu, seu casu quopiam alio a refactos, passim subiectis ignibus inflammarunt,

ut raptum in sublime incendium, procul aspicientibus castrorum ingentium focos excitantium speciem praebere uideretur. Hic Tartari insidias ueriti, tantumque ignis a paucis minime excitari potuisse creduli, eodem quo uenerant itinere, per uias inuiaque non sine magna iumentorum pernicie redierunt.

Per idem tempus Stephanus Druget, cui gentilicium cognomen ab oppido Homonna est, iam tum praeclare indolis adolescens, et maiorum bellicis laudibus illustris, non fortuna, ut ibi, sed ipsa adeo uirtute duce, ualidam Tartarorum manum cecidit. Eandem enim siluam non multo post Tartari transgressi, ut Capos oppidum, decem millibus passuum ab Vnguaro remotum, direptis incolis abactaque praeda, igne delerent, Stephanus conuocatis ad signa partim suis, qui stipendio merebant, militibus, partim opidanae iuuentutis finitimorumque uicorum populis bello idoneis, obuiam illis pergendum statuit. Erat Caposinis manus nulla certa, non statio militum, non munitum ullum praesidium, etiamsi oppidum amplum situ et frequens incolis habitaretur. Sed trepida inter spem et metum multitudo, partim in tutiora se receperat, partim domi residebat, tutum se fore ingentis lacunosaeque siluae interiecta existimans. Nondum Caposum Tartari attigerant, cum Stephanus, magnum incolis periculum creatum iri uidens, si nec opinantes opprimerentur, renunciat, affore ualidam Tartarorum manum; quapropter quae in rem suam putarent fore, curarent, arma caperent, celeritate opus esse. Ita cum oppidanis suisque omnibus, qui ad ducentos et quinquaginta ferebantur, partim equites hastis et gladijs armati, partim pedites tormentis humeralibus instructi, in eos numero longe plu-

Stephani Homonnai uirtus.

res, ducens; tanta clade affecit, ut postea a traijcienda illa silua, omen auersati, semper abstinuerint. Jam et in alia Vngariae parte, cum eadem feralis hostis crudelitas longe lateque ferro et igne grassata esset, ad Berexász peruenit, Munkachiae ditionis et regionis oppidum, quod frumenti uinique ubertate nobile, ciues quoque habebat copijs rei familiaris locupletes et pecuniosos. Quia uero nec uallo, nec ulla munitione erat firmatum, qualia poene omnia Vngariae sunt oppida, hostium impressiones minime ferre poterat. Proinde cum incolis nec euadendi tempus adesset, nec si adesset, locus quo fugerent, superesset, ut pulcherrimum ita tutissimum arbitrantes in uirtute spem ponere, fortunamque aduersam, quoad eius fieri posset, industria subleuare; maiori animo quam facultate, appropinquantem hostem excipere constituerunt. Aedem sacram, quod necessitas iubebat, stationibusque undique praesidijsque obfirmant, eo imbellem turbam cogunt, et quidquid e domestica supellectile carum preciosumque erat, congerunt. Ciues pro muro, quod sat imbecillo templum cingebatur, armati circumsistunt, ad utriusque fortunae euentus excipiendos animati, nec libertatem nisi cum uita amissuri. Hocmodo cum infusam aedis muro multitudinem impetu facto dirus hostis totis uiribus aggressus esset, semel atque iterum non sine strage repulsus est. Nam cum Tartari arcubus tantum et sagittis eminus opidanos peterent, hi commodioribus instructi armis, tormentis, quibus ad manum utebantur, tum alijs missilibus hostes a muris arcebant. Cum diu hoc modo uelitatum pariter et praeliatum esset, tertia tandem impressione, quia muri laceri ruinosique erant, ciues

Berexásziorum in propulsandis Tartaris fortitudo.

sagittarum procella obruti, ex area in aedem sacram rediguntur. Ibi pro foribus intraque fores pugna instaurata. E fenestris parietumque culmine, lapides, telas, tormenta, missilia omnis generis, quae casus metusque suggerebat, ab armata iuxta et inermi turba in hostem deturbari, extrema quaeque tentari, nihil cedere, nullum belli discrimen subterfugere. Adeoque unanimes in destinatum exitium conspirauerant, ut pro uictoria ultricem mortem in uotis omnes haberent. Sed desperatio uictoriae, non raro uictoriam parit. Sciebant se cum suis ad unum usque deleri, si uincerentur; quapropter dumdum fortiter mori cupiunt, fortiter uicerunt. Ad occiduum usque solem tempestas proelij durauit, quo tempore Tartari temere coeptae oppugnationis poenitentes, auxiliares Vngarorum copias ueriti, (nam ex Zatmar et uicinis arcibus affore credebantur) missos illos facere statuerunt. Ne uero frustra tentata obsidio incassum fieret, rogitantibus similes, ac ueluti pactum inituri, se protinus discessuros nunciarunt, si auri uel argenti aliquid, quod penes se haberent, honorarij muneris titulo offerre sibi in animum inducerent, alioquin non inde pedem prius moturos, quam extrema omnium internecione deleantur. Hic obsessi, salutari consilio, uolentes magis bonorum iacturam aliquam facere, quam uitae fortunarumque omnium discrimen periclitari; uasa argentea diuersi generis, tum etiam auri argentique signati, nonnihil uestes preciosas, et quidquid ad demulcendos alioque auertendos eorum animos faciebat, in commune proferunt, ac legatis missis tyranno ducibusque praesentant, denunciantes, se desperationem et mortem, sed non inultam, pro uictoria, si ea potiri nequeant, destinasse. Facerent igitur,

agerent, quidquid liberet, sibi nihil amplius cum illis intercessum iri uel nuntij uel pacti quicquam. Tartari tantum illorum in desponsam destinatamque mortem ardorem animaduertentes, ne sine apophoreto discederent, accepto donatiuo recesserunt, id maxime cauentes ne suorum cladem maiore accessione cumularent, si pertinacius in urgenda oppugnatione persisterent. Hoc modo Berexasij iam poene animum desponden-tes praesenti periculo munerum lenocinijs sunt exemti. Cecidere ex Tartaris plures; obsessorum praecipui quicque uulnerati, pauci interfecti. Dux unus Tarta-rorum Goda nomine, qui cohortes ducebat, globulo tormenti traiectus occubuisse dicitur, cuius iactura magni a Tartaris aestimata, deplorataque est. Exente-ratum cadauer, in Tartariam usque patriam deporta-tum fuisse dicitur, ibique maiorum monumentis con-ditum. Hoc Plutoni dijsque inferis mactato, fortuna uti dira quapiam hostia, tot piorum manibus paren-tasse uisa est. Reliqua Tartarorum cadauera, qui parum sibi cauerant in praelio, passim recollecta, par-tim domorum opidanorum tectis illata esse dicuntur, ac subiectis ignibus, una cum aedibus incendio ab-sumpta partim iumentorum dorsis clitellisque iniecta, extra oppidum elata, ac strue lignorum ingesta in cineres esse redacta. Sane Syllae exemplo, ne cada-uera suorum, iniuriae ludibrioque hostium essent obnoxia, igne abolere maluerunt, quam a carniuoris bestijs absumi, aut sub dio foede tabefieri: uel quod moris est, praecisa capita sublimibus palis appendi, partaeque uictoriae documentum fieri. Et haec qui-dem Berexasiorum quantulacumque uictoria ad ma-lorum solatium aliquid momenti, ceterum ad rerum summam parum aut nihil contulit. Nihilominus enim

Tartari, omnem late Vngariam peruagantes, ferro incendioque cuncta uastarunt, Maximiliano Caesare peregre Sulimani motus, progressusque uana speculatione obseruante.

Quae dum tam misere uarijs in locis à Turcis Tartarisque geruntur nec plebs misera in tantis patriae luctibus quemquam habet, ad quem confugiat, quem malorum uindicem appellet, quod perfugium, quod praesidium salutis requirat; grauisssima querimonia, quod solum poterat, aegritudinem animi moeroremque leuabant, perque uicos, fora, domos, dormitantium Principum imperium, quibus diuinitus salus reipublicae demandata esset, secum detestabatur; ita communi patriae calamitate animo iuxta corporeque aegri, ut lucem quam aspicerent spiritum quem haurirent, acerbum sibi pestiferumque ducerent. Videbant prouectae aetatis homines in ea se tempora reseruatos infelici quodam fato esse, quibus patriam quaecumque erat ex tot alias cladibus reliqua, ueluti libitina inclusam, extremis luctibus in sepulturam efferri. Se uitamque suam execrabantur, quod non prius fato functi aduerso Vngaris numine, hoc populorum tormentum, regnique florentissimi exscidium aspicerent. Nunc filiorum uicem miserantes, quod non post eam diem nati essent; nunc suam, quod in eam diem uixissent. Reminiscebantur eorum temporum, quibus in exterorum imperium redacti sunt, quot malis obruti, quibus calamitatibus sint attriti; reuocabant in memoriam, urbium excidia, regiorum uastationes, principum regni luminum acerbissimas mortes, eaque malorum omnium genera, per quae bellorum diritas uagari solet. Neminem esse, qui praesentibus periculis, crudelissimorumque latro-

num nefarjis grassationibus obuiam ire ausit, acie depugnet, ac se salutis publicae uindicem praestet. Quas clades taeterrima haec pestis Tartarorum, afflictae regioni intulerit, uix quisquam uel luculento eloquio enarrare possit. Praeter haec in Zigetanae Julanaeque Regionis parte, quae ueluti sortitione Turcarum crudelitati cesserat, non minora sunt illata mala. Nulla erat domus, quae luctu gemituque non redundaret, nulla pars regni ab hoc calamitatis genere immunis. Armentorum quoque uarij generis greges, idem hostis magno numero, diuersis e locis eodem coactos, in Turcarum ditionem lucri causa abigebat, quorum praecia, cum auctioni subijcerentur, tam erant abiecta eleuataque ut singula boum paria, dum quinquagenis nummis Vngaricis, idest, semisse thaleri indicarentur, fastidiosus licitator recusaret, emptionemque detrectaret. Captiuorum quoque omnium cateruae, partim sub corona Turcis uenditi, partim in Tartariam sunt abducti. — Semirutarum aedium reliquiae, uicorum ingentium cicatrices, opidorum cadauera, fanorum pariter ac profanorum aedificiorum sola uestigia, templorum nuda moenia, familiarum orbitates, ueterum magnarumque prosapiarum internecio, tristem eorum temporum faciem, in animis pariter omnium et oculis luculenter testantur.

Haec dum a Tartaris in Vngaria cis et ultra Tibiscum geruntur, Sulimanus interea Zigetum et Julam, uti diximus, expugnauit: et Joannes Transiluaniae Princeps, morte Sulimani ueluti froeno retractus, Tokaium obsidione soluit, ac Transiluaniam uersus agmen reduxit. Tartari quoque, quasi iam penitus debellatum esset, morte Sulimani exauctorati, missique facti, cum nihil sibi reliqui ad summum praedandi

furorem fecissent, retro in patriam referre signa constituerunt. Quidquid autem antea immanitatis patrauerant, ultimo discessu crudelitati suae insigniorem colophonem imposituri, longe maiore rabie cumulauerant. Erat illis in Transalpinam, qua redeundum sibi proposuerant, per regionem Varadiensem Transiluanae ditionis iter faciendum. Jam uero Joannes a Tokai arcis irrita oppugnatione reuersus Varadini consederat, eo sane consilio, nequid detrimenti extremae suae regionis partes ad Tartarorum subita impressione acciperent, cum haud cuiquam in dubio esset, Tartaros gentem immanissimam, si ita occasio ferret, ne a Transiluana quoque ditione manum temperaturos, praesertim cum iam Sulimani morte ueluti sacramento soluti, quiduis in quosuis sibi licere in animum induxissent. Nec opinione sua falsus est Joannes; magno enim ualidoque agmine domos contendentes Tartari, paucis infra Varadinum milliaribus consederant, illato Transiluanis quoque partibus damno. Impedimenta ac spolia ingentia quae congesserant, captiuorumque magnum numerum secum trahebant, quorum calamitatem miseratus Joannes, omnem, quam secum pro tempore habebat, militum manum, tum ex urbana plebe equites peditesque magno delectu armat, ac in Tartaros educit. Mori se malle dictitans, quam miseram suae gentis multitudinem impune per imperij sui fines in foedam seruitutem auferri pati. XX millia Tartarorum scribit fuisse Vlloa. Alii qui proelio interfuerunt, non minus XV. millibus. Joannes vix VIII millibus, qua ueteranorum, qua tyronum stipatus, tantam tamen multitudinem pertentandam constituit, ut etiamsi par illis debellandis penitus esse non posset, magnum se ta-

Joannes Princeps Tartaros redeuntes praelio aggreditur.

men operae pretium relaturum rebatur, si captiuorum quantamcumque saltem partem e dirae gentis faucibus eripore posset. Tartari quaecumque praecedebant, nonnullos ex captiuis obtruncatos membratim in uia proijciebant, siue ut onere leuati expeditius iter accelerarent, siue ut Joannis iram ad uindicandas iniurias acuerent, eumque imprudentem ac temere subsequentem in insidias traherent.

Tartarorum in praeliando astutia.

Est enim natio Tartarica prae alijs in pugnando astuta fraudumque plena ac insidiosa, ut cauendus magis quam oprimendus uideatur. Neque est alia gens uspiam, quae plura in bello stratagemata calleat, pluribusque dolis hostem circumueniat. Cum procul abesse credantur, mira pernicitate proximi adsunt, et improuisi obruunt, id maxime dantes operam, ut famam sui aduentus celeritate praeuertant. Quapropter agrestes pagi, immunitaque oppida, prae alijs sunt illorum rapacitati obnoxia. Nam armatum hostem et ad pugnam instructum raro adoriuntur, nec sane cominus pugnant, nisi certa uictoria illis sit explorata. Proinde cum accinctum ad proelium hostem animaduertunt, pugnandi copiam minime faciunt, sed mox turmatim, et manipulatim dissipati, ubi hostes similiter cupiditate pugnandi et insequendi dispersos uiderint, signo a cohortium praefectis dato, uel clamore uel uexillorum nutu, mira celeritate eodem coëunt, ac conglobati palatum sparsumque hostem telorum grandine obruunt ac fugant. Tormenta aenea, cum maiora tum minora, quibus ad manum nostri utuntur, mire abhorrent, nec unquam uel castellum uel exercitum ijs instructum adoriuntur. Totaque illos uincendi ratio in peditibus equitibusque sed leui armatura, tormentisque aeneis probe armatis consistit.

Nam hastatos et gladijs securibusque instructos, prius sagittis eminus debellant, equosque confodiunt, quàm hi cominus, cum ijs arma conferre, manusque conserere possint. His olim artibus Parthi, quorum progenies perdita haec natio esse censetur, graues populi romani legiones in oriente, magnis subinde cladibus affecerunt.

Ergo Joannes Princeps non ignarus hostem cominus apertoque Marte uix depugnaturum, sed solita uafricie omnes eius conatus elusurum, cunctantius eos inuadere constituit, ne immatura pugnae festinatio recti consilij finem interciperet. Nihilominus tamen sperans hostem multis captiuorum impedimentis oneratum, non tam facile in solitas arces confugere posse, ad Ujuáros, Debrecinensis agri opidulum eos assequitur. Exercitus regij agmen ita dispositum erat ut tormenta curulia mediocris magnitudinis, tum ea quae ab senâ octonâque serie, hexasticha octasthicaque dicuntur, ad conuellendum disturbandumque hostium agmen accomoda, unde et nomen uulgo habent; aliaque item quae ob molem rotis inuehuntur; in prima statim acie constituerentur. His pedites exquisiti, humeralibusque tormentis solito apparatu armati, interstipati sunt; ut hi primos in praelio tenerent. Hastatos gladijsque ac contis instructos, in quibus minus erat praesidij, in medium postque principia reijcere placuit; eo omnino consilio, ut si tormentarij primi hostium agmen aenearum pilarum grandine retunderent, de fugaque capessenda incertos animi redderent, hastati totis uiribus irrumpentes, nutantes eos consternatosque dissiparent: tum uero equis pernicibus freti expeditius in fugam effusos caedere, ad omniaque extrema redigere possint. Ergo

ubi propius uentum est, utrinque magno clamore concurritur. Nec uero uafer hostis ad solitas praeliandi artes confugere poterat, eo, quod non usquequaque locum ex animi sententia nactus erat; impedito, atque iniquo loco tenebatur. Telorum imbre illi, hi tormentorum aeneis plumbeisque pilis saeuiunt, nullum feriendi modum praetermittunt. Enimuero ubi primum infestis signis concursum est, ancipiti omnino fortuna dimicatum est. Nam dum primo congressu ardor pugnandi Tartaris supra modum incaluisset, multos e regijs peditibus et equitibus sagittarum multitudine deiecerunt. Verum postea acrius instantibus nostris, refrigeratoque hostium calore, ubi pugnae tenor iam poene in ultimam defatigationem processisset, cepere Tartari fere nutantes parcius sagittas mittere. Quae res indicio erat, praelij molem uix se iam sustinere fugamque meditari. Ergo grege facto, equites quoque praelongis hastis armati, impressionem in eos faciunt: ac simul hostium agmen, siue nostrorum impetu, siue de industria, ut nostris insidias struerent, turbatim ac in fugam effusum, in partes dissipatum est. Quos regij acrius impellentes, dum palatos in orbem colligere se non sinunt, currus innumeros omnis generis praeda onustos, magnamque rerum captiuorumque molem intercipiunt. Dum fugiunt, Tartari solito more in aciem conglobati uelitantium instar, praelium sagittis eminus instaurant, ita putantes fore, ut exoneratis iam relictisque ab Vngaris curulibus tormentis insequentium ordines repellere possent. Sed opinione sua nimium sunt falsi, totis enim uiribus pedites tormentis armati, qui mira uelocitate equitum cursum re urgente, adaequabant, in cedentes hostes, cum hastis illati, elisis dense

tormentis, ita eos retudere, ut nusquam amplius redintegrato praelio, praecipites in fugam conijcerentur, tanta cum consternatione, ut non modo captiuos in campis, sed et arcus, pharetras, sagittas, preciosasque quasque manubias passim proijcerent, fortassis ut insequentes dum in ijs colligendis occupantur, ipsi interim ad euadendum salutemque tutandam tempus arriperent.

Joannis Principis de Tartaris uictoria

Hoc modo Joannes Rex, licet non exiguo suorum sanguine ea uictoria steterit, gratulatus tamen est, se laborum suorum eum fructum assecutum esse, quod magnam mortalium uim e dira foedae gentis seruitute in libertatem et salutem asseruisset. Cecidere ex Transiluanis ad ducentos, egregij bello uiri, inter quos Michael Horuátus, Illyrico genere oriundus, magnae uir dignitatis, alijque praestantes uiri. Alphonsus Ulloa et Petrus Bizzarus, peregrini homines, horumque uestigia secuti alij, longe rem aliter, sed minime ex uero haustam retulerunt: quam sane nec a patria, nec a memoria nostra remotam, uiuentium adhuc constans fides manifeste confutat. Aiunt Joannem ab obsidione Tokaij arcis reuertentem, e Tartaris, qui Transiluanam ditionem populabantur, ad sex millia cecidisse. Mox illi cladem suorum ulturi Varadinum obsedisse, unde Joannes Princeps fuga dilapsus in Transiluaniam se receperit ubi contractis denuo copijs eos iterum adortus fuerit, ac ad XX millia, ex ijs ad internecionem ceciderit. Sed haec dum illi scribunt, famae, quae ex libidine magis, quam ex uero res cunctas celebrat obscuratque, fidem adhibuerunt, uero omni ex parte neglecto, *certe apud eos, in quorum regionibus haec gesta sunt, talia scripta, risu et ioco tamquam putida et uana excipiuntur.**)

*) A dűlt betükkel szedettek Szamosközy toldásai (a bécsi codexben 75-dik lapon.)

His ita a Joanne gestis Tartarorum reliqua colluuio, magnis itineribus ex Vngaria in Transalpinam Vallachiam ac Moldauiam, quae Turcarum Imperio tenebantur; inde in Thauriam Chersonesum, quae illis patria erat sedes, non sine tamen ingenti clade reuersa est. Nam et in Podolia a Polonis et Kazakis magno detrimento affecti, uix tandem non magna eorum pars, uario discrimine domum se recepit.

Dum in hunc modum grauissimis bellorum motibus Vngaria totam aestatem conquassata, requietura iam tandem ob Sulimani Tartarorumque excessum putaretur, ecce Suendius, cui cura eius Vngariae partis, quae ad Cassouiam ueluti metropolim est, erat ab Imperatore demandata, nactus opportunitatem qua suam fortitudinem exserere posset, prorupit cum suis Vnguaro*), ac ingruente iam hieme, tutus ab hostibus Transiluanae ditionis castella adoritur. Primum ad Munkacium edito loco situm, sed munitionibus et arte parum firmatum castellum, copias quas habebat, ducit. Tormenta muris quassandis, accomoda, Vnguaro eduxit, absquo tribus abest milliaribus, ad radices Sarmaticorum montium positum. Praeerat arci Demetrius Kerepecius, uir prouecta iam aetate grauis, cum collega Petro Farna, quibus Joannes Princeps eius tractus custodiam demandauerat. Ji nec opinata obsidione circumuenti, cum se diutius tolerandae impressioni minime pares esse uident, et ab Joanne fractis quassatisque Vngariae rebus opem desperant, deditione Suendio facta, in potestatem eius arcem tradunt, his conditionibus: ut praestita incolumitate, armatis, qua cuique esset lubitum,

Munkacium arcem Suendius capit.

*) A bécsi codex 76-dik lapján a köv. oldaljegyzet áll Bethlen Farkas kezével: Istvánfi Cassouia scribit egressum.

abire liceret: uestimenta et quidquid rerum suarum pedestres auferre secum possent, auferrent. Sed mala fide pactis statum. Cum enim miles omnia in praedam conuertisset, dediticij partim interfecti, partim inermes ac semi nudi dimissi. Ipsi quoque praefecti ambo capti, ac Vnguarum ducti, paucis post diebus ad Maximilianum sunt missi. Capta Munkacio ac praesidio imposito, Huztum inde Suendius ducit, quod ad confinia Poloniae uergens, Transiluanici quoque Imperij munitissimum ab Vngaria et Polonia erat propagnaculum, nec nisi saluo hoc totius regionis Maramarusiensis ueluti claustro, tutus in Poloniam patebat aditus. Sed inde reiectus Suendius, quod in arcem editissimo monte situm, nec tormenta uibrare, nec muros demoliri, impressionesque facere posset, ad Georgij Bebeki castella recuperanda, quae in Cassouiensi regione habebat, animum conuertit. Nam Bebecus superioribus annis, ut diximus Constantinopoli e captiuitate, Joannis opera et intercessione in libertatem assertus, grati animi ergo, quo pio bene meritoque de se Regi, perpetuo obstrictum esse uidebat, totus in potestatem Joannis concesserat, castellaque ea, quae in Cassouiensi tractu, a maioribus suis fideli obsequio parta possidebat, iure ad se pertinere retinereque contendebat. Eo uero minoris operae erat, Zaduar, et tria quaedam alia non magni usque adeo momenti, Bebeki castella in potestatem redigere, quod capto Tokaio et Munkacio, omnis suppetias mittendi peregre facultas interclusa Transiluano fuerat. Qua propter obsessi destituti non auxilio modo, sed et spe, nullam deditioni moram fecerunt, cum non tam Suendij uis, quas loci circumstantia omnia propugnandarum arcium praesidia illis eripuisset.

His in hunc modum administratis, Maximilianus Caesar, satis se consecutum laudis et gloriae arbitratus, quod corrogatis totius paene orbis Christiani auxilijs, Sulimano in Vngaria arces expugnanti, eminus uixdum strictis gladijs comminatus, pestemque et internecionem imprecatus fuisset, omnem exercitum adulto iam autumno Viennam Jaurino, ubi consederat reduxit; nihil secum expendens, quid tanta maiestate, tantis apparatibus dignum, tam fractis quassatisque Vngariae rebus salutare, quid denique tantae omnium exspectationi esset conueniens. Ubi Viennam redijt, laetis suorum acclamationibus, populorumque ominibus, ac miro omnium applausu est receptus. Militum multitudo urbanae plebi admista ducesque ac principes triumphi instar subsequentes ac praecedentes, faustis ominibus salutarem illius aduentum, Vngariae totique orbi Christiano comprecantes. Patrem patriae, Sulimani profligatorem, pium, felicem, inuictissimum triumphatorem clamantes. Hinc tormentorum tonitrua, quae laeti animi significationem haberent, sulphuratae faces, et iacti in sublime ardentes globi quae omnia reducem ducem testarentur, magna festiuitate, insanoque numero, ac uarijs edita sunt argumentis. Mox ludicris certaminibus et spectaculis dati dies aliquot, quibus scilicet animi tanta belli mole fatigati relaxarentur, uires exhaustae recrearentur, fessis ocium indulgeretur. Demum auxilia omnia quae ex Italia, Polonia, Vngaria, totoque adeo orbe Christiano, in magnam spem Turcas remorandi conuenerant, qua cuique uisum erat, missione a Caesare impetrata, dissipata sunt: prudentiores homines patriae internecioni superstites, pudendum in omni posteritate tanti belli euentum aeuique huius

Maximilianus Caesar de Sulimano debellato triumphat.

tarditatem animo pariter et querellis execrantes. Si desidendum duntaxat, aut captata turpiter occasione, ignauia uacandum fuerat, idque solum in animum induxerant, ut sedentario bello defungerentur, cur uel limine pedem tanta multitudo efferebat? Cur non potius domi inter mulieres et pueros, in circis, et theatris et spectaculis imaginariam militiam exercebat? Id enim satius fuerat, quam erigendo mortalium animos in tantam belli uictoriarumque exspectationem tam pudendo modo spem omnium et rerum exitum contaminare. Et miratur adhuc mundus, cur Turca tantum sibi licentiae usurpauerit in Christianis opprimendis. At hercle plus est usurpaturus, si istis artibus, his segnibus consilijs, quae stulte cauta uocamus, hac oscitantia; non melioribus uiribus, non armis magis constantibus, illius audaciae obuiam contenderimus.

Maximiliani ad Selimum legatio.

Dimisso exercitu Maximilianus, cum Sulimano filium Selimum successisse in imperio cognouisset, noua legatione noui Principis animum tentare constituit. Nam et ab Odoardo nobili equite, legatione Constantinopoli Maximiliani Caesaris nomine de pace concilianda fungente, et a Georgio Hosszutothio Vngaro magni consilij et animi uiro recens Constantinopoli reuerso, non dubia fama acceperat Selimum Pertauo Basae et Graeciae Bellerbego mandasse, ut noua expeditione adornata, primo statim uere Vngariam repetant, ut si quid ibi adhuc belli clades reliquum fecisset, in potestatem redigant. Qua re Caesar cognita, ueritus ne ad amoliendam Turcarum uim tanti robur exercitus, opponere posset, quantum rei difficultas postularet, primo quoque tempore Constantinopolim mittendum statuit. Missi Legati Antonius Verantius Episcopus Agriensis magni uir consilij

Anno 1567.

et in aduersariorum rebus uersatus, qui iam antea quoque quinque annos legatione apud Sulimanum perfunctus, gentis mores, et quibus illos officijs demulcere conueniat, callere satis putabatur. Huic collega additus Christophorus Tiffenpachus, homo maximis gerendis rebus summa cum laude uersatus, quibus negotium, rem cum barbaro componendi delatum est. Hi splendido comitatu, donisque amplissimis Kal. Julii Vienna soluerunt, anno a capto Zigeto et Jula uertente, secundoque Danubio Belgradum, inde Constantinopolim rheda uecti, appule-
Aug. 21. runt in Vrbem ad XII. Kal. Septembres. Splendida per se legatio tantae auctoritatis uiris commissa,
Munus Maximiliani Imperatoris ad Selimum missum. quo magis Selimo gratior esset, muneribus quoque luculentis decorata est, nec Maximiliano Caesare dante, nec Selimo accipiente indignis. In his dicuntur fuisse horologia tintinabuli sonitu horarum spatia dimetientia, artificiosis figuris ornata, tum uero paterae inauratae magni ponderis et ualoris, quibus Imperatoris et Bassarum animos impleuerunt. Tota donariorum summa, fertur quadraginta aureorûm millia excessisse. Pax octonis quibusque annis renouanda, nouisque foederibus firmanda, a Selimo impetrata est. Quod quia utrique parti gratum acceptumque fuit, diu stabilis et inuiolata inter ambos Principes stetit. Nam et Maximilianus cum se imparem Turcico bello sustinendo uidet, auide pacis consilia arripuit. Et Selimus imperij sui primordia, memorabili felicique re aliqua auspicaturus, misso paulisper terrestri bello, maritimam fortunam experiri statuit, tum ut ignominiam et cladem, quam Sulimanus pater a Melitensibus acceperat, ultum iret, tum ut ad intermissum iam pridem maritimum bellum suorum animos

et industriam expedetiores redderet. Sed praetermissis Melitensibus, Venetos captata, rumpendae pacis, quae inter eos intercedebat, occasione, aggressus est. Quo in bello primus uictor ademta per uim Cypro insula, postea ingenti clade ad Echnadas uictus, utriusque fortunae memorabilem casum eodem simul anno expertus est. Venetos agreditur.

In hoc cum Maximiliano foedere icto Transiluaniam quoque Selimus complexus est, quam sui iuris suaque tutelae esse uideri uolebat. Proinde cautum, uti ab ijs, quae Transiluanae ditionis essent, Maximilianus ui, clam, palam deinceps abstineret. Violato Transiluano, non secus ac si in ditionem Turcarum ferrum et flammam immitteret, pacis omnis nexus solueretur. His ita confectis, impetrata uenia legati caesarei Viennam sunt reuersi, circa ultimum diem Maij anno eius seculi LXVIII. Missus est una cum eis a Selimo Cziauzius Ibraimus, qui Maximilianum cum ad alia quaedam perficienda, tum ad pacem cum Joanne Principe Transiluaniae ineundam concordiamque colendam adhortaretur, quae postea diremptis controuersijs, positisque armis, salutari consilio constituta est. Nam praetermissa in praesentia, de totius Transiluaniae possesione contentione, fines, confinia, limitesque regionis, quae hactenus perniciosis bellis in controuersiam uocata erant, determinata sunt, Casparo Bekeso pacificatore interutrumque Principem fungente. Sub idem tempus, dum pacis negocium tractatur, Stephanus Batorius, magni uir nominis, qui paucis post annis in Principatu Joanni secundo, paulo uero post in regiae Maiestatis fastigio Henrico Regi Poloniae successit, a Maximiliano Caesare captus, ut supra diximus, domum remissus est; sedulo intercedente Melchiore Balassa, ne is interea

Selimus Transiluaniam foederi includit.

1568 máj. 31.

Stephanus Batorius domum reuertit.

libertati restitueretur, donec uxorem et filios, quos superioribus annis Batorius Zatmaro capto custodiae traditos in Transiluania detinebat, pariter dimitteret. Sed Maximilianus sapiens et multum in posterum prospiciens princeps, recti atque aequi habita ratione, etiam si Batorio non nihil infensus esset, Balassae quiritationi nullum locum dedit, negans captiuorum illorum, et Batorii eandem esse rationem; cum illi iure belli capti, uictori mancipio cesserint; huic uero caducatore misso, iure gentium, salus et incolumitas deberetur.

Alexander Kendi dimittitur.

Per idem quoque tempus Alexander Kendius, Joannis Principis secretarius uir magnis postea honoribus perfunctus, quippe qui multa sapientiae et uirtutis opinione principem inter proceres Transiluaniae locum obtinuit, eiusdem Caesaris indulgentia dimissus est. Nam cum Kendius feruente adhuc Sulimaniano bello, peculiaribus cum mandatis ad quosdam Vngarorum proceres, quorum magna apud Caesarem auctoritas et fides esset, nondum amissa Jula et Zigeto, a Joanne missus esset, dum rerum earum momenta secretis sermonibus cum illis tractat, de exploratione suspectus ad Imperatorem delatus est; qui captus ad Caesarem per Joannem Volgazen quinquagenariae cohortis praefectum ductus est. Consilium autem Kendij fuerat, primum procerum animos de ijs quae sibi in mandatis data erant, pertentare, deinde ad Maximilianum ipsum totius negotij summa illorum quoque precibus et opera intercedente, referre. Sed minime consilio ex uoto succedente, antequam ad Caesarem ueniret, pertractus est. Capita rerum, de quibus Kendio negocium datum erat, minime erant talia, quae suplicio punienda putarentur, qua

Postulata Joannis secundi.

propter ipse quoque Caesar, aequitatis, humanitatisque ratione habita, tutum illum liberumque dimisit. Primum de Batorio dimittendo agebatur. Deinde ut si Caesar Tokaium et Julam nondum captam et obsessam, tum uero oppida alia quae cis Tibiscum Transiluaniae adhaererent, restituere in animum induceret; pariter Joannes quicquid arcium oppidorumque ultra Tibiscum, praesertim Cassouiensi tractu, in potestate teneret, Caesari redderet: ita ut utrisque Tibiscus limitaneus esset fluuius, cuius immutabili alueo amborum imperium terminaretur, idque ad pacem concordiamque constituendam, tum uero ad controuersias quae de finibus subinde oriuntur, tollendas, emolumento publico plurimum conduceret. Nam cum mediterranea arcium oppidorumque confinia, nouis subinde controuersijs, inter subditos ut solet, suborientibus, digladiationibus et armis sint obnoxia: eo sane modo finium regendorum actio, minus litium, minusque inuidiae esset habitura, si Tibiscus amplissimus fluuius, uelut intergerinus quidam paries, ac tanquam discidiorum arbiter ijs terminis quibus defluit, utriusque regiones describeret. Sed haec omnia intempestiuo tempore agitata, nullum felicem euentum sunt sortita, belli Sulimaniani turbine sana omnia et salutaria consilia turbante. Etsi autem hoc Joannis postulatum uideretur aequitati quam maxime consentaneum, quippe qui remisso non nihil de iure suo, maluerit cum Maximiliano sancta perpetuaque uicinitatis iura colere, quam nouis subinde armis rem limitaneam turbare: ubi tamen Caesaris animum, qui bello dirimendam controuersiam esse uolebat, a pace alienum esse sensit, id quod necesse factu erat, suas quoque et ipse partes, strenue, quoad eius fieri

(1568) Casparus Bekes pro conciliandā pace ad Mamilianum Caesarem missus.

potuit, gessit. His ita gestis cum iam Sulimanianum bellum, magno cum orbis Christiani detrimento gestum deferbuisset, missus est iterum Casparus Bekes a Joanne ad Maximilianum, uti fines utriusque imperij, certis regionibus terminarentur. Vbi post uarias disceptationes, in hanc tandem sententiam utrinque discessum est, ut quidquid intra Zatmarum et Erdoedum euersum castellum, Caesareanarum partium confinia, Transiluaniae adiaceret, pagorum, castellorum, arcium: ijs omnibus Joannes, iure quoquis optimo potiretur. Tasnadum feracis agri et copiosum opidum, Transiluaniam ab Vngaria campestri clauderet. Debrecinum amplum et copiosum oppidum, nec ulli in Vngaria secundum: quia Turcicae Transiluanae ac Maximilianae ditionis territorium secaret, medium se inter ternos Principes gereret, proprietas tamen et ius in eo ad Transiluanum pertineret, ususfructus ad omnes.

Eluctata Sulimanianis et Tartaricis bellis Vngaria, uidebatur tempestas posuisse, cum nescio qua intemperie agitati leues quidam homines, et ad turbandam humani generis quietem uaesanis artibus instructi, in nouas res tentandas animum adiecere. Enimuero ita a sapientissimis uiris, sumpto iudicio ex rerum humanarum statu animaduersum est: non posse hominem, animal agile et impatiens otij, ab agendo ullo unquam tempore feriari. Et cum a bene agendo cessat, ne nihil agat, male agat necesse est. Quae respublica cum externis hostibus colluctatur, tuta interim sunt intestina a discidijs. Vbi foris quietum est, domi arma oriri necesse est. Ergo exantlatis Turcicis discriminibus, cum securior domi quies, positis armis, Vngariae tranquilitatem pacemque quantulamcumque sponderet, repente motus bellicus a

contemnendo initio ortus, animos hominum in nescio quam spem melioris fortunae abtraxit. Erat in regione Zilagiensi, quae extra Carpaticos saltus Transiluaniam ab occidente claudit, homo loco obscuro ignobilique ortus, ac uix uel inter suos notus, Georgius Karacion nomine, uicanus, plebeius, neque opificio neque liberalibus artibus apud ullos commendatus. Adeoque generis et fortunae obscuritas illum hominibus occultauerat, ut tunc primum è sordibus suis, èque terra prognatus esse uideretur. Hic, quo sibi magnum illustreque nomen inter mortales pararet, praesentem fortunam aspernatus, ac nescio quo numine de repente afflatus, coepit spiritus, quos ingentes gerebat, ad maius quid audendum erigere. Fingit, sibi singulari Dei instinctu Vngariae periclitantis curam commendatam esse: arma capienda, castra habenda, exigua admodum manu, Turcarum quamlibet ualidas uires, se contriturum. Nihil esse desperandum: Deum pro sua causa pugnaturum, et uel sine armis hostes profligaturum. Magnum erat in homine agresti (quod mirari quis posset) uerborum lenocinium persuadendique artificium; apta res imprimis ad captandos imperitorum animos. Huius mentem cum plerique prudentiores suspectam haberent, minime se ulla impostura circumscribi patiebantur: proinde ille rusticam tantum plebem, minus a prudentia et rerum usu paratam, ad se attraxit. Anno LXIX superioris seculi, adulta iam aestate, coepta sunt haec primum ambiguis, deinde certis rumoribus palam circumferri: ortum esse Nigrum hominem, (hoc enim in uulgo illi nomen), Deo sanctum uirum, qui alter Josua aut Maccabaeus, Turcarum potentiam esset debellaturus, Vngariamque a profanorum seruitute uindicaturus. Quae tam in im-

Nigri hominis (quem uocant bellum) 1569.

1569.

mensum iactabantur, praedicabanturque, ut plerisque etiam sapientioribus improuisa res magnam iniecerit meditationem. Proferebantur in lucem uaticinia nescio e quibus tenebris eruta, eum annum fatalem fore, euertendo Turcarum imperio, passim in symposijs, in trinijs, conciliabulis, serijs pariter ac iocis, sacri belli multa mentio inducebatur, indiesque increbrescebat; nunquam non obnoxijs ad superstitionem, spemque uel timorem futuri, hominum animis. Quibus ita compositis, primum in mediteraneis Tibisci, castrorum instar rustica plebs in contubernia turmasque aggregari coepit. Mox ad Debrecinum celebrem Vngariae ciuitatem, unde comeatus affatim peti posset, toto simul agmine concessum est. Adeoque uerborum illecebris, simulationisque artificio stolidam multitudinem Karacion seduxerat, ut alacres, uirum scilicet fortissimum, publice libertatis assertorem, Turcarum debellatorem, dei ipsius tutela munitum Dauidem, sponte sequerentur, pro se quisque nomina darent, sua stipendia mererent, sanguinem et uitam in tam honesta piaque causa se posituros profiterentur.

Ladislaus Pellio collega Karacionis.

Ne uero Karacione tantum duce bellum sacrum perageretur, commodum secundas partes subijt Ladislaus quidam cognomento et opificio Pellio ex oppido Riuulo-Dominarum oriundus, sordido quaestu apud suos antea notus, cetera prorsus ignotus apud omnes. Qui morigerantem ex uoto fortunam nactus, notiorem se postmodum fecit. Quam quam autem uicariam post Georgium ducis speciem esset nactus, minime tamen illius animum consiliaque explorata habuisse fertur. Bina paene hominum millia quod res digna admiratione uidetur, temere impostori se fidemque addixerant; tanta omnium cupido erat sub

eo duce stipendia et quidem priuata faciendi. Persenserat hoc Turca, uidebatque quorsum res progrederetur. Imprimis Bekus Zolnokiensis Mehemmedus, in quem huius mali initia uidebantur imminere. Sed siue fretus occulto pacto, quod illi cum Karacione intercedebat, siue quod neutiquam metuendum duceret rusticae plebis rude ac inconditum agmen, data opera nihil aduersum moliebatur; satis ratus, imperitam multitudinem, suapte stultitia poenas daturam, si quid inconsulte tentaret. Quia uero tanti exercitus imperator, non a pecunia, quae neruus belli est; non a commeatu, ob cuius penuriam sine ferro uincitur exercitus; non a prudentia, quae rerum gerendarum magistra est, non ab ullis rebus quae ad bellum usui erant, esset paratus: stipendia pro se quisque suo ipsius aere facere, suo commeatu pasci, ac paene suo quisque arbitrio ferri, sibique tantum, non in commune, sapere cogebatur. Ceterum quae ad importandum commeatum pertinebant, ea paratu procliuiora erant. Ex omnibus enim uicis et oppidis, etiam supra necesserios usus, ad luxum usque uenalia quaeque, nemine imperante in castra ingerebantur. Porro Karacion, aprugno quouis callo callidior, quo plausibili per se rei, speciosius nomen inderet, sacri belli nomine fraudem celauit, eoque fuco imperitis imposuit; pro Dei immortalis nomine, proque sacro sancta religione, pro patria in pristinum statum asserenda bellum susceptum esse a sanctis, uoluntarijs, Deoque et religioni deuotis militibus. Quibus quidem praestigijs, ita illos sibi obnoxios fecerat, ut diuinum quempiam uirum omnes illum suspicerent. Id enim ab omni aeuo semper animaduersum satis est: nihil esse fucata religionis specie siue ad uicia patranda siue ad uir-

Religionum animis iniectarum quanta vis.

370156A

tutem conficiendam, trahendosque animos hominum, uiolentius, firmius ualidiusque incitamentum. Nullum esse tam immane scelus, tam atrox parricidium, quod crimen esse putetur, modo persuasum sit ei, qui patrat, Deo illud gratum acceptumque esse. Hinc olim humanarum uictimarum filiorumque adeo immolandorum horribiles carnificinae, urbium populorumque exscidia, alia dictu factuque nefanda. Nullum uicissim tam insigne facinus est, quod uirtute perfici debet, quod non alacri animo suscipiatur, si modo eo Deus placari, malefactaque expiari credantur. Quapropter et Karacion, homo agrestis, sed non agresti ratione ductus, religionem, sacrum bellum gerendae rei praetendit: satis gnarus, nulla re alia imperitam multitudinem magis moueri, agi, trahi, quam in speciem obiecta religione, conscientijsque superstitione deuinctis. Singulis diebus, mane, meridie, et uespere ad tympani pulsum, procumbentibus in genua omnibus, oratione dominica a taciturnis recitata, Deum fauorem aucupari docebat: nec quisquam interea, a precibus factis se erigebat, quam ipse stans et circumspectans uniuersos, humi in genua desideret. Sordidum quodque et insolens conuicium ac turpe quodlibet uerbum, castris explodebat: sancta omnia saltem in speciem ut essent operam dabat. Interea tamen cum commeatu destituebatur, missis in aliena pecuaria abigeis, castra carnibus complebat, omniaque ex rapto, cum potestas erat, comparabat, fauorem inconditae multitudinis quibuscumque ex rebus captans. Ipse dux, milites, filios uocitabat, milites illum patrem. Auctorandi milites ritus erat, ut ipse dux capillos tyronis inuolaret, ac leni tractu uellicaret, moxque illi ab occipitio leuem colaphum impingeret. Haec initiandi erat forma hic ritus.

Narrant, quibus homo de facie notus fuit, non uultu tantum, sed toto corpore, inamoeno quodam nigrore fuisse perfusum; ac genitiuis quibusdam notis inscriptum; praesertim autem a ceruice ad infimas usque dorsi uertebras, aequabili ductu sub nigra linea binum digitorum latitudine tergum fuisse notatum, quale genus in quibusdam quoque iumentorum interscapilijs conspicitur. Eam notam non a casu, sed uiciato conceptu illi inustam fuisse, credi par est, ex eoque Nigri hominis cognomentum in uulgo sortitum esse. Quae sane res iam inde a natalibus, morum improbitatis et infidi ingenii erat argumentum. Hoc modo Karacion, cum fictae religionis uafricie, potentius quam ullis armis, tamquam Gallicus Hercules stollidum agrestium uulgus post se traxisset, uidens e nobilitate militarique ordine, poene nullos ad signa sua se conferre, cunctantius destinata expediebat. Et iam elabente autumno, in colligendo tantum modo exercitu, in ponendis, mouendis, transferendisque hinc inde castris; bruma imminebat militantibus inimica; nec dum tamen Georgius ullum belli primordium dederat, non certamen, non ullam cum Turcis uelitationem fecerat. Sua ille consilia secum taciturnus premebat, omnia quae agenda erant, in magis oportuna tempora se dilaturum dictitabat. Deum mentem precibus exquirendam esse docebat, quibus inconsultis nihil temere tentandum esse dicebat. Dum ita rem prolatat, coepit sensim multitudo a signis dilabi, exercitus diminui, ad operas domesticas manu facta clam palamque dissolui. Hic Georgius diuturno astu ad uulpinandum eruditus, ne a suis uel inuitus destitutus, totius rei summam, quam animo conceperat, in inuidiam uocaret, eorumque

Karacion notatus a natura.

uoluntates, quos fallacijs sibi conciliauerat, suspectas in se redderet, alioque auerteret, sponte exercitum in hiberna dimisit, praemonens, ut aperiente statim se nouo uere, ad eadem signa, sacramque militiam coirent, uisuri, quam magna et admirabilia Deus per eos perficere statuerit. Et hactenus quidem Georgius, ut nonnulli arbitrantur, sincerum piumque in rem Christianam gessit animum, sed quam repente animum ad temerarium bellum conflandum adiecerat, tam cito propositum in multo nequius scelus traduxit. Nam cum se sine nobilitate et militari satellitio, nihil magnum et memorabile perficere posse uidet, desperatque illos in sua signa traducere, diffisus uiribus animumque despondens, ne temere ab incoepto resilire uideretur, maluit fidei iacturam facere, quam uerecundiae et pudoris discrimen inire. Quapropter ad noua consilia audaciusque facinus, animum traduxit. Silente enim bruma cum temporis asperitas tuta omnia ab hostibus tranquillaque fecisset, cum Beko Zolnokiensi clam paciscitur se multitudinem eam, quae uere nouo, sub eius signa coitura esset, in eius potestatem traditurum, si modo transfugij, nauataeque operae facinus condigno praemio compensaretur. Nec esse quod multum operae in ijs decipiendis poneretur. Ita enim eorum credulitatem cum summa stoliditate coniunctam, in potestate haberet, ut pro lubitu abuti illorum simplicitate possit. Bekus ad cladem Christianam praedamque captandam semper intentus, cum magnificis pollicitationibus proditorem impleuisset, non difficulter hominem sine spe, sine re, sine fide, sine Deo, sine fortunis, ad perficiendum conceptum scelus pellexit. Ita eo autumno missione omnibus facta, uixdum hiems remiserat, cum in eadem

Karacion suum exercitum Turcis prodit.

castra, ad eademque signa, ueluti a furijs acti, temeraria multitudo, sine ulla recusatione, summo etiam cum studio redijt, nominaque scelerato imperatori dedit. Jussa quaelibet patienter accipere, ducum monitis auscultare, nutus obseruare, quocumque ire pergerent, sponte sequi. Interea dum in hunc modum comparando exercitui Georgius uacat, primores regni, ad quos maxime reipublicae constituendae, pacisque ac belli summa pertinebat, has res nouas attentius considerare coeperunt, ne quid hic in militiam concursus latentis fraudis haberet, neue periculi quid priuato iuxta ac publico nomini importaret. Proinde fidentes alternisque diffidentes inter spem simul et suspicionem haerebant, exitum tantum rerumque euentum, qui stultorum magister dicitur, exspectantes. Nondum memoriâ obsoleuerat, funesta tum nobilitati, tum sibi ipsis agrestium crucigerorum audax molitio, cum simulatis in Turcas armis, in sua uiscera nobilitatemque exscindendam, rustica multitudo olim ferrum conuertit. Ne idem nunc contingeret, omnium in animis obuersabatur. Sed hic paucitas contemnebatur. Nam etiamsi ex dubio hoste, manifestum se facerent, non poterat tam exigua inermis plebis manus (ad bis mille enim erant) ullum proceribus et nobilitati ualidis satellitum turmis instructae, ullam facere uim. Prius opprimi posse putabatur, quam concordibus animis in excitandum intestinum bellum conspirare. Nicolaus Batorius maxime, reipublicae constituendae triumuir, quem Judicem Regiae Curiae uocant, continuis explorationibus omnia indagare non desistebat, quorsum res in speciem contemnenda, et risu magis quam seria animaduersione digna euaderet. Nam et quod inter Maximilianum Caesarem et

Turcarum Imperatorem foederis sanctissimi religio intercedebat, minime rebatur e re Christianae reipublicae fore, si ab se eius quouis modo per rusticanum bellum conuellendi occasio praeberetur. Quapropter tamdiu tumultuariam expeditionem tolerari constitutum erat, dum ad maiores motus, multaque armatorum millia processus non fieret.

Dum Georgius castra ad Debrecinum habet, ne uana tantum pollicitatione collecticios milites, qui morae impatientes sunt, lactaret statuit in spem opimae praedae illos erigere. Sed tam inermi rudique militum suorum tyrocinio, magnum aliquid et memorabile tentare, uix admodum fieri poterat: quo circa ineundi consilii exigua ratio, explicandi dificilis plane habebatur. Ne tamen nihil omnino tentaret, quingentis e suorum numero secum assumptis, ad Sanctum Nikolaum praefecturae Zolnokiensis castellum iter intendit. Bidui itinere aberat a castris Sanctum Nicolaum. Nolebat autem Karacion totum exercitus sui robur, inualido castello immittere, ne concepti sui consilij finem, ratio aliqua quam minime putaret, interciperet. Merito enim uereri poterat, ne si parum ualido castello tota illa multitudo, quantumuis dolo circumscripta committeretur, etiam paratos ab armis Turcas opprimerent: quod Georgius nolebat factum, nisi uiolata religione eius pacti, quod clam Bego Zolnokiensi condixerat. Ante uero quam ad Sanctum Nicolaum duceret, proclamandum curauit, ne quis ullum uiaticum, ullum cibum, nihil denique quod remorando itineri esset, secum ferrent. Deum immortalem, cuius causa ageretur, omnibus omnia prouisurum. Cum non multum itineris processissent et iam de esca comparanda pro se quisque sollicitus esset,

passim in semitis, et itineribus, qua transeundum illis fuerat, tamquam temere proiecta fortuitaque cibaria inuenerunt, quae Georgius iam ante, praemissis qui id fallaciae struerent, idoneis locis, citra suspicionem alicuius fraudis supponenda curauerat. His ex sententia confectis, cum fortuita annona eos pauisset, coepit Georgius praedicare diuinitus oblata ex insperato esculenta: plura Deum omnipotentem et maiora largiturum, modo fiduciam omnem spemque in illius benignitate ponerent. Adeo ubique miris praestigijs deorum numen suae uequitiae praetendere norat ueterator. Postridie cum Sancto Nicolao propius accedendum esset, fingit portas arcis nutu et potentia Dei sponte ruituras, remotoque omni obstaculo, obiceque omni castello sine sudore et sanguine ullo eos potituros. Quo uero maiorem fidem dictis conciliaret, praedicit statim ubi muris successum esset, atrox in arce incendium suboriturum, nempe delapso de coelis igne Deum manifesta suae potentiae et uindictae signa praebiturum. Cum hoc modo diurna inedia confectam plebem, sine armis, sine tormentis, sine ullis machinis, arci admouisset impostor, Turcae qui Georgij mentem ex compacto callebant, diuersis in locis, stramentorum stipularumue aceruos succenderant, quo raptum in sublime cum denso fumi uolumine incendium, accedentes in paratas insidias opportunius pertraheret. Hoc modo Karacion, cum inermem stolidamque mediastinae plebis multitudinem, armatis et ad pugnam instructis Turcis obiecissêt, in ipsa arce inque portis ueluti pecora trucidanda curauit. Pauci sibi aegre uel itinerum diuerticulo ambagibusque, uel armis salutem effugiumque parauerunt. Stupida clades, et amentia magis uulgi,

Karacion ad S. Nicolaum insigni impostura suis Turcis caedendos objicit.

quam nobili aliquo documento notabilis, facta est, ad XVI. Kal. Maij anno eius seculi septuagesimo. Georgius famosae expeditioni superstes nullo loco postea, (ut dignus erat) nullo numero apud Turcas fuit, ac ne fama quidem auditus, aut sublatus e medio ab ipsis hostibus, in quorum fidem transfugerat, aut ignobilis in ultimas aliquas terras secessisse putatur. Ladislaus Pellio, alter belli ductor, qui Georgianae coniurationis conscius minime fuisse creditur, etiam si sciret ob consortium proditoris Georgij, suam causam omnium praeiudicijs confossam esse, fretus tamen aequitate sua, animique sincerioris conscientia, cladi elapsus Debrecinum profugit; ubi mox nihil illi suffragante, animi recte sibi conscij, ut uideri uolebat, fiducia, concursu in illum facto, tumultuari a plebis conspiratione oppressus est, qui extra oppidum unco tractus, a bestijs laniatus est. Hoc modo inconditae turbae agrestium expeditio, quam cito nata, tam cito perfecta est; magno in futurum documento, rusticam multitudinem stiuis et aratris accomodam, ubi arma induerit, si sapiente duce destituatur, non esse nisi imbellium pecorum gregem. Quod anima corpori, id prudens imperator est exercitui, maxime tyroni, et ex imperita plebe collecto.

Sub idem tempus, dum haec in Vngaria non minus stolide quam ridicule administrantur, ne una semper bellorum calamitate populi plecterentur, noua religio, et ea quidem externa, incessit Transiluaniam terram. Nam fortuna, quae rerum mutatione mirabiliter gaudet, cum hactenus passim fortunam hominum mutauerit, nunc longe perniciosiore malo animos uariare constituit, peregrina in-

fusa religione. Ea mirum in modum mentes populorum tam in uarias ancipitesque de Deo opiniones distraxit, ut repente aut alij Dei aut alij homines facti uiderentur. Erat Georgius Blandrata, natione Italus, patria. . . . . .

(A második könyv itt megszakad a lap alján; a könyv többi része elveszett.)

LIBER TERTIVS.*)

Haec dum in hunc modum in Transiluania constituta essent, Joannes Princeps diui Joannis Regis filius, in medio aetatis flore iuuenis ut regia stirpe dignus, ita immatura morte indignus, in humanis esse desijt altero et tricesimo, quam natus esset anno; pridie Idus Martij, ejus temporis anno LXXI. Sepultus est Albae, in aede urbis maiore proxime matrem ad dextram, nouo posito monumento. Pallidus semper ac dubia ualetudine uixit, colicis doloribus ad ineunte adolescentia obnoxius, quibus etiam absumptus est. Eam ob causam saepiuscule fuit tetricus, nec tamen crudelitatis aut seuitiae ullo nomine subditis inuisus. Si quando a morbo ualuit, ab animo aeger fuit; cum ab hoc quoque uacauit, lepidis salibus, iocis et morionibus, nec tamen ad fastidium aliorum, se oblectauit. Musicae uero adeo studiosus fuit, ut organis et psalterijs uel cum eius artis peritis certaret. Clementia eius, sicut et in patre, spectabilis fuit. Complures uel e potiore nobilitate in ancipitibus illis regni turbis proditionis conuictos et damnatos, non supplicio tantum, sed et amissione bonorum, adeoque ignominia exsoluit. Siculos temere rebellantes, modica inflicta poena compescuit, in officioque continuit. Saepius urbes et oppida seruitutibus intollerabilibus oppressa, immania ab oneribus publi-

Joannes II-dus moritur. 1571.

*) Későbbi kézzel irva e czim; az »Argumentum« hiányzik.

cis praestitit. Nec ullus Princeps, pluribus de patria bene meritis ciuibus, indulto priuilegio, libertatem immunitatemque concessit: nullus plures natalibus restituit, in nobiliumque ordinem cooptauit. In summa, damnatos in integrum restituit, uinctos soluit, exules reuocauit, res iudicatus absque aliorum iniuria rescidit; ignominiosis notas, reis sordes dempsit, omnia tranquillauit, meritis quoslibet uel indignos sibi deuinxit. Quid temperantia eius conspectius? quid castitate admirabilius? Cibus illi et potus aduersus famem et sitim, non libidini atque luxuriae fuit: et tamen ne in communem morem peccaret, usitatamque consuetudinem repudiaret, conuiuijs quandoque laetus sed sobrius indulsit, tristitiam iocunditate, austeritatem comitate temperauit. Parsimonia uerborum, sed maxime sermonis castimonia, ingenita illi magis, quam studio accursita fuit. Nihil turpe aut sordidum dictu uel factu ab eo manauit, eiusque in ijs rebus munditiam etiam num praestantes uiri, quibus illius uitae integritas familiarius cognita fuit, luculenter testantur. Litterarum autem et artium liberalium studia, quibus ingenia ad humanitatem formantur et ipse dilexit, quippe iuste, atque doctissime eruditus: et in alijs coluit, fouitque. In quo quidem Principe si religionis tempestatem excipias, in quam a nefarijs hominibus erat deturbatus, nihil inuenies summo et clarissimo Principe indignum. Nempe non ignorabat, non magis se sua caussa esse natum, quam reipublicae procreatum. Per quantos utriusque fortunae casus, tota, dum uixit, aetate sit agitatus, ipsa totius eius uitae series satis ostendit, prorsus ut mirum sit, nec nisi diuinae prouidentiae singulare documentum fuerit, inter potentissimos duos Monarchas, saluum

illum et incolumem tamdiu potuisse persistere. Primum a Ferdinando Rege, infans cum matre Budae obsessus, a Sulimano hoste periculum depellente, ex totius belli ore ac faucibus ereptus est atque seruatus. Mox adempta non tam illi Buda, Vngariae Metropolis, quam Ferdinando, qui in eam occupandam totus incubuerat. Hoc modo ab exilio et fuga uitam auspicatus, magnam aetatis partem simili calamitate transegit. Nam ex Vngaria profugus, Lippam primum se recepit, inde in Transiluaniam cum matre receptus nondiu hic quoque, hospitari potuit. Nam regno fortunisque, artibus Monachi tutoris et Ferdinandi Caesaris in infimam humanae conditionis sortem deturbatus, Polonia exuli locum et hospitium dedit. Hic peregrino coelo asuescere, ignota lingua loqui, alienos mores imbibere, arbitrio non suo uiuere, denique e summo fastigio paene in seruilem statum redigi non opportuit modo sed et necesse fuit, donec eiusdem Sulimani indulgentia et fide omnino admirabili reditus in regnum illi apertus est. Quod exemplum humanitatis in barbaro, eoque alias immanissimo, adeo magnum et simulare est, ut uel hoc uno nomine uideatur in memoriam posteritatis relictum, in literasque relatum, ut Christianis Principibus immanem illam rabiem, qua se inuicem tam foede lacerant, exprobret: dum isti Christiani scilicet, qui dicuntur magis quam sunt, ob leues offensas, non in subditos modo innocentes grassantur, uerum etiam in uniuersam eius familiam, cum quo inimicitias susceperunt, ita saeuiunt, ut si per eos stet, excisa penitus stirpe, ne memoriam quidem superstitem relinquere in terris uelint, adeoque fratres cognati. in fratres consanguineos (quod non simplex malefici-

um sed execrabile parricidium est) hac intemperie, ob effrenem regnandi libidinem grassantur. Verum enim uero uos rerum publicarum euersores, aliorumque Principum carnifices Reges, contemplemini uos in hoc speculo, quanto Christianior Sulimanus fuerit, uel Christianissimis Christiani nominis Principibus. Ob has fortunae uicissitudines, Joannes insigne gentiliciae stirpis, deductum a Bona Regina auia, quae ex Sforciadum Mediolanensium familia fuit oriunda, suis stemmatibus inseruit. Id erat serpens tortuosa specie formatus, qui infantem passis manibus deuoraturo similis prehensum faucibus mordicus tenet. Nam stemma paternum lupus fuit, semisse sui e ternis collibus emergens. Quâ notâ thaleros quoque complures cudit, ualore alijs aequabiles, aut etiam superpondio adiedo praestebiles, figura dumtaxat diuersos. Nam insigne paternum angusto typo circumscriptum, nec ullis lemniscis emblematisque ornatum, in meditullium thaleri impressum est, non totum occupans, hinc nummi spacium. Illinc auersa thaleri facies, glabra penitus, nec ulla inscriptione asperata sola caluicie notabilis est. Qua quidem nummi figura indicare uisus est, regnum Vngariae sibi ereptum, imperiumque paternum in angustos Transyluaniae fines esse redactum.

Joannis Principis stemma.

In omnibus actionibus, clementia, temperantia, liberalitate, magnanimitate, comitate, regijsque omnibus uirtutibus, patrem habuit archetypum. Nihil illi magis auersabile fuit, quam barbara inhumanitas. Humili ortos loco, multos in amplissimas fortunas extulit. In studijs humanitatis, sic fuit institutus, ut neque belli artes, aliasque summo Principe dignas ignoraret, neque literarum promta facultate careret.

Testantur eius benignitatem scholae prouinciales, in usum iuuentutis literariae sufficientibus salarijs dotatae, Albensis, Vasarhelyiensis, Claudiopolitana, et aliae, ad quas regendas, uiros doctissimos uel è remotissimis locis, magno proposito praemio conquisiuit. Academiam solemnibus privilegijs instructam, quod superiores Vngariae Reges, uel florente Regni statu ignauiter praetermiserant, Sebesi uicino Albae Saxonum opido condere in animum induxerat, eamque ob causam Caelium secundum Curionem, uirum doctissimum Basilea aliosque item ex Italia et Germania euocare ad artes profitendas decreuerat, nisi tam praeclarum optimi Principis propositum, momento temporis mors dissipasset. Aedificia Albae spectabilia erexit. Palatia principalia, quae antea ob artistitum negligentiam, arcta angustaque uidebantur, in decentem laxitatem splendoremque redegit, picturis doctissimis parietes intra forisque illustrauit; belli simulacris, urbium oppugnationibus, apophthegmaticis emblematibus, triclinia, caenationes, cubiculaque ornauit, laquaearia aurato opere, sculptilibusque rosis distinxit: superbissimis aulaeis peristromatisque omnia habitacula uestiuit: prorsus ut regiae magnificentiae decus, cum summa sapientia coniunctum uel in ipsis aedificijs perspicere liceat. Certe patriam ea caritate complexus est, ut omnia consilia et deliberationes, non nisi in eius commoda utilitatesque referret.

Szászsebesini Academiam erigere voluit Joannes II-dus Rex.

Nam quod exteri criminantur et etiamnum eo nomine nostri malignitatis insimulantur, quod Turcico tyranno, nimis se obnoxium Joannes tributariumque fecerit, illi non uident, nihilo se esse feliciores, imo multo infeliciores, quod Nimrodi illius Ba-

Joannis salutare consilium in tutanda Transyluania.

bylonici fauorem non sunt ad tempus sibi demeriti. Maluit Joannes iactari, quam mergi: uacillare, quam pessumdari: perdere aliquid quam perire ac tamquam castor animal, detrimento partis, totius corporis incolumitatem redimere. Nam quod a tributi et nomine et pensione illi abhorrent, non animaduertunt, multo grauiore tributo magisque pudendo, pacem et foedus a tyranno eos mercari, qui caesareos spiritus prae se ferunt libertatemque summam iactant. Et si ab experientia argumentum ducere libeat, sane ab eo tempore, quo Vngaria ob uicinorum principum ambitionem, in eas calamitates, quas uidemus, praecipitata est, per Turcas nunquam stetit, quominus Transiluaniae pax perpetua esset. Nullum periculum, nullae insidiae, toto Joannis utriusque tempore paratae huic regno ab illis fuerunt. Quod si ijsdem conditionibus in posterum quoque pacem duraturam, a Turcis redimere liceat: non erit, cur seruitutis huius, ut illi criminantur, Transiluanos magnopere poenitere debeat. Thesaurus principalis, qui ab superioribus Vngariae Regibus, per utriusque fortunae uariabiles uices, ueluti per manus deriuatus, in Joannis aerarium confluxerat, praefectorum auaritia, potiorumque procerum depeculatione, in uarias distracta est praedas. Crucem auream solidam, gemmisque preciosis spectabilem, ne pluris fiscum quam rempublicam faceret, regno uniuerso legauit testamento, hac lege, ut ea nonnisi difficili ancipitique discrimine imminente, in usum publicae salutis e gazophylacio depromeretur. Quadraginta quinque millibus nummum aureum aestimata fertur. Eam ex Sigismundi Caesaris et Regis Vngariae gaza ad Mathiam Regem deuolutam, Joannes Coruinus Mathiae filius,

Crux aurea.

Dominico Albensis Basilicae antistiti, qui sacra expiatoria diui Regis Mathiae manibus peregerat, donauerat Bonfinio tradente. Inde in potestatem Regum, qui per seriem successerunt redacta; tandem ad Ludouicum Grittium thesaurarium, siue a Joanne Rege donata illi, siue fraude acquisita, peruenerat. Eo ad Megyes oppidum trucidato, iterum ad Regem Joannem, subinde uero ad filium heredem descendit. Nunc potitur ea Sigismundus Princeps, diui Christophori filius, abrogata ex senatusconsulto testamenti cautione: in publicoque ordinum ad Megyes conuentu, bene merito Principi uirtutis et honoris ergo donata est.*)

De Principe Joanne sustituendo consulationes.

Defuncto mortalitate diuo Joanne secundo, haerede Rege Vngariae, magnam proceribus sollicitudinem incussit, regni tali principe destituti status, uerentibus ne potentissimi hinc et illinc imperatores, acerrimi a principio regni aemuli, defectu iam penitus ab ipsa radice Regum Vngarorum sobole, maiore uirium contentione, pro se quisque regnum inuolarent, et in quo iuris nihil possiderent, oppressa aequitate armis ius sibi facerent. Nec deerant paratae ad studia partes, qui Maximiliano Transiluaniae imperium sponderent, totique in eius fidem incumberent, captata secedendi occasione, ex nuperrima Casparis Bekesi ad Maximilianum legatione. Nam Joannes Princeps, cum nihil sibi reliqui ad summam curam et diligentiam fecisset, uti imperium Vngariae e Germanorum manibus extorquere posset, et iam diffisus

*) Egy későbbi kéz ezen mondatot kihúzta, s helyébe a következő jegyzetet irta: »Váradot az török hogy megszállotta, azelőtt Várad oltalmára hogy praesidiumot fogadjanak, Bátori Zsigmondnak az ország pénzért úgy adta volt el, hogy pénzek nem volt.«

Sulimani auxilijs, qui illum ad magnam spem recuperandi paterni regni erexerat, ubi uidisset se operam ludere, missis ultro citroque legationibus, ad Maximilianum transitionem facere destinauerat, fixumque*) ac deliberatum habebat, se pactis paternis, in quae olim conuenissent, staturum, tum uero postea, quae inter matrem Isabellam, Castaldum et Monachum acta transactaque fuerant inuiolata seruaturum conditionum foedera, si Opoliensem ducatum et adiunctas illi prouincias Maximilianus etiamnum sibi tradere uellet: tum, si unam e filiabus uel germanis sororibus ex pristino compacto, nuptum sibi daret. Quibus quidem conditionibus cum se staturum Maximilianus pollicitus esset, et iam arma coniunctis uiribus in Turcas conuerti clandestinis molitionibus constituta essent, pios Principum conatus intempestiuo admodum tempore mors euertit. Haec clandestinis internuncijs coeptae quidem, sed nondum omni ex parte transactae societatis mutuae pactiones, magnam dissensionis ansam, in nonnullis suapte ingenio in nescio quam Maximiliani potentiam erectis, fecerunt.

Per idem tempus, quo Joannes Princeps e uiuis excessit, tractus Barciensis Coronensis Regionis, Siculia, bonaque pars Transiluaniae terrae motu ter repetito tremore, uibrata est, rarissimo alias in his regionibus prodigio. Quod quidem malum, haud dubie diui Principis interitum portendit, bellicisque motibus et tumultibus postmodum quietem Transiluaniae turbatum iri, commutationemque rerum consequi praemonstrauit.

Terrae motus in Transiluania.

*) A bécsi cod. 98. lapján ez oldaljegyzet áll: non fuit fixum, prout alij in tractatibus scribunt.

Stephanus Batorius Princeps creatur.

Defuncto Joanne Principe Stephanus Batorius, cui uetus cognomen a Somlio est, quod Transiluani territorij sub Carpaticis saltibus, quae in Vngariam exitur, arx et oppidum est, paribus ordinum proceruмque suffragijs, regnum Transiluaniae excepit; Princeps non maiorum illustribus tantum titulis magnus, sed suapte etiam uirtute et animi magnitudine clarissimus. Virum sapientem et alta quodam mente praeditum, tum uero aetate maturum, regnoque aptum, sapientissimis ordinibus ad tractanda regni tam periculis obnoxij gubernacula eligere uisum est. Videbant enim quantis calamitatibus sub foemina pueroque ducibus superioribus annis erant conflictati, ut nisi Deus peculiari quadam prouidentia et gratia regnum tutatus esset, praesentibusque periculis eripuisset, actum de eo non semel uideri poterat. Ne uero exstincto ab ipsa stirpe Joanne Principe, Turca in rem suam nimis plus semper intentus, clam uel palam aliquid in hoc interregno moliretur, secretioris consilij proceres, communi metu imperante silentium, caelare ad tempus Principis obitum statuerunt. Quapropter summus palatij magister, non secus ac si eodem in statu tuta omnia ac tranquilla essent, nihil turbato rerum ordine, singulos et uniuersos in officio continuit, simulationibusque in uulgus omnia texit. Ordinarios ferculorum missus, eosdem uel ampliores, in triclinia, ac si uiueret Princeps, inferri iussit: aulicorum ordines ad solita officia palatijque ministeria frequentes adesse coëgit: et ne qua mortis uel suspicio ad uulgus dimanaret, regali cultu uestitum cadauer, cui uenerabundi proceres detecto capite assisterent, patentibus fenestris admouebatur, ut ipse ueluti prospecturo similis Prin-

ceps, necessitatem credendi fidemque sui uiuendi, praetereuntium oculis faceret. Quibus quidem fucis ideo uulgus circumscribebatur, ne exploratorum opera, quicquam de Principis interitu, tum ad Germanos, sed maxime ad uicinos Turcarum praesides emanaret. Quippe cum Sulimanus ex sua indulgentia peculiarique gratia Transiluaniae principatu potiri Joannem credi uoluerit, haud dubie uix cuiquam obscurum uideri poterat, quin ille (ut sunt tyrannorum ingenia) legitimo fiduciarioque Principe defuncto, ius successionis in regno praetexens, totum ad se rapere conaretur, possessionemque eius, ueluti quoddam fideicommissum repetere, ex solidoque cernere contenderet. Quamobrem ne potentis hostis ulla molitione, salus regni in periculum et discrimen uocaretur, placuit secreta legatione Maximiliani Caesaris animum et fauorem, in tam ancipiti fortuna pertentare, sibique conciliare: tum ut Stephani Principis electionem ratam haberet; tum ut si Turca immanis et fraudulentus hostis, ad Transiluaniam inuadendam animum adiecturus esset, Caesar ipse communis omnium salutis defensor ac propugnator, eius regni quoque tutelam ne desereret. Quodsi praestare non recusaret, se pro Domino Transiluaniae eum agnituram, iusque sui regiminis et principatus ipsi acceptum relaturum, in eiusque obsequiis perpetuo mansurum Stephanus pollicitus est. Ne uero haec cum Maximiliano conflata pactio, in Selimi aures penetraret, placuit ex aequo, quam maxime fieri posset, occulto silentio premere, cum haud cuiquam in dubio esset, Turcam, si haec clandestini foederis actio e tenebris et latebris erumperet, maius regno discrimen creaturum esse, obstinatiusque in id occupandum incubiturum.

Stephanus Princeps cum Maximiliano foedus icit.

Et Stephanus quidem Princeps, foederi, in quod utrimque pariter conuentum erat, sancte et inuiolate stare decreuerat; proinde publicis quoque diplomatis, indultam sibi ex Maximiliani Caesaris gratia dignitatem testaturus adijciendum semper curabat: *Auctoritate ea, qua publice funginur*, donec tandem Casparis Bekesi ambitio a Caesare Maximiliano, ut fama erat, contra initas foederis leges, in perniciem Transiluaniae, Stephanumque ex legitimo principatu dijiciendum armata, omne pactum conuellisset irritumque fecisset.

1571. maj. 24. Ergo Stephanus IX. Kal. Junias cupientissimo senatu Albae electus, magistratumque ingressus, nihil prius habuit, quam Joannis Principis corpus picato loculo reconditum honorificentissimis, ut par erat exequijs sepulturae traderet: id enim iam pridem in morem uertit, non prius demortuo Principi funebria iusta persolui, quam illi alter sufficiatur, qui decessori more regio funus magnifice faciendum curet. Quare non interea dimissus est conuentus, qui Albam indictus erat, quam rite peractum funus esset. Corpus Regis funerali capsa clausum, e conclaui efferri coeptum est. Pullati proceres praecedebant: Stephanus Princeps magna comitante pompa sequebatur. Proximi feretro, paludamentum, ensem, sceptrum, orbem, calcaria aurea, singuli singula praeferebant. Praeibant seni equites cataphracti, clypeo, hasta principali, ex qua uexillum defluebat, thoracibus; galea, uniuersaque panoplia inaurata conspicui; purpuraque pulla, equi pariter amplissimo syrmate solum uerrente tecti, tum ipsi uectores late palliati. Regalia insignia, argento auro inducto caelata; alterum maternum, anguis infantem deuoraturientis imagine, ad laeuam: alterum paternum, lupum e

Joannes II-dus sepelitur.

collibus exstantem habens, a dextris ferebantur. Vbi in Basilica urbis maiore, ad tumbam peruentum est, quae e regione arae maioris ad sinistram sita est, habito peractoque panegyrico, corpus terrae redditum est, simul clypeus, hasta, thorax, regiaque omnia ornamenta, non sine spectantium gemitu, in sepulcrum ingesta sunt; quo significabatur omnem eius stirpis prosapiam hoc funere clausam esse, omniaque signa, trophaea, bellicumque decus uniuersum una corruisse, condique simul, quae perijssent simul.

Quibus ita peractis, dimissoque conuentu, Stephanus Princeps, ubi primum imperium inijt, nihil antiquius habuit, quam prouincialium animos sibi conciliare; refragantes, quoad eius fieri posset, animi leuitate, promissis fauore, demulcere: omniaque rite et ordine disponere. Id maxime cauens, ne cui ipse uel odij, uel calumniae, a seque abalienandi materiam ullam praeberet, qua publica tranquilitas in commodis difficultatibusque affici posset. Quia uero potiorum procerum animos Blandratanae impietatis dogma obsederat, inter ceteras conditiones, in quas nouus Princeps conceptis uerbis iurare solebat, id quoque adiectum erat: ne religionis praesentem statum, qualiscumque tandem is esset, turbare, uexare, tollere, immutare contenderet; sed suis quemlibet ritibus, suisque sacris, quae profiteretur, uti frui permitteret. Et Stephanus quidem Romano Pontifici eiusque sacris addictus, quamquam difficulter, ad ferendas dissidentium religionum turbas traheretur assentiendum tamen in praesentia esse duxit, ne publica tranquillitas tam alieno tempore, sua unius pertinace a perturbaretur. Tam alte enim haec dogmatum diuersitas iam radices egeret, ut nonnisi publico

Stephanus fauorem omnium sibi demereri studet.

cum regni discrimine, receptarum opinionum ritus tolli conuellique posse uiderentur. Et enim cum omnis potestas, omne imperium, omnis denique curatio, ab uniuersi regni suffragio proficiscatur, ijs legibus, ijsque iurisdictionibus administratio reipublicae ab illo suscipi poterat, quas ordines senatusque, plebis statum fundaturi Principi sciuissent. Erat Stephanus cum principatum iniret annos natus octo et triginta, aetate uegeta, matura, et ad res maximas gerendas idonea. Adolescentiae iuuentutisque turbulentum illud fretum, quo plerique uelut ad Syrenum scopulos absorbentur, solida cum laude perfectae cumulataeque uirtutis praeterierat. Robur illud fastigiumque maturae aetatis, floremque bellicis laudibus innutritum in principatum attulerat, mox in regiae Maiestatis apicem prouehendum. Atque utinam omnes Reges, omnes orbis terrarum Principes ea aetate, quae regno maxime esset accomoda, acciperent imperium; minus haberemus bellorum, quibus orbis terrarum concutitur, minus cladium, nec tantum insanarum turbarum, quae publicam regnorum, tranquilitatem in perniciem saepissime rapiunt. Quod ita tandem fieret, si Princeps suffragijs sapientum eligeretur, non nasceretur, nec maiorum famosis imaginibus tumidus fortunaeque indulgentia delyrus, non segnitie luxuque fractus, sed sapientia sedatoque ac minime praecipiti ingenio instructus ad regnum capessendum accederet. Accedebat ad communem omnium in creando Stephano Principe suffragium, studium pietatis, qua ab ineunte aetate, nihil in religione uacillans, usitatae catholicaeque fidei constans custos erat, a qua nec multiplices haereses quae Transiluaniae improborum quorundam astu, et patrocinio,

Stephani matura ad principatum ineundum aetas.

Principisque Joannis lentitudine irrepserant, nec inuidorum calumnia, nec aemulorum futilitas uel latum unguem eum dimouere potuerunt. Tanta autem constantia, tantaque animi firmitudine, propositi tenax erat, ut cum Andreas, Christophorus et Stephanus Batorij, germani fratres, ijsdem animis, eademque pietate catholicae fidei ritus, diuaeque uirginis singularem cultum deuotissime obseruarent, Beatae Matris milites, ab irrisoribus appellarentur. Quae illorum improbitas cum summa impietate coniuncta, tantum abest, ut quicquam de Stephani magnitudine detrahere potuisset, ut potius eius uirtus, uelut ignis ubertim subiectis pabulis flammam concipiens, incrementum gloriae et honoris domi bellique acceperit.

Stephanus Princeps Catholicus

Boldogasszony katonái

Mouebat ordines, et maiorum eius inclyta uirtus, familiaque de regno Vngariae Transiluaniaeque bene semper merita. Ex qua Stephanus natus, non nominis solum et bonorum, sed et gloriae eorum, animi, fortitudinis, honestatis, omniumque uirtutum haereditatem multa accessione acceperat. Parens autem Stephani Principis, totaque maiorum series, quantis uirtutibus, quantaque rerum gestarum gloria, a principio nascentis huius Vngarici imperij floruerint, maius est, quam ut hic referri possit. Nam Stephanus eius parens, Joanne Rege rerum potiente, princeps fuit Transiluaniae; cuius uixdum pubescentis summa indoles, magna cum fortitudinis laude spectata est eo primum proelio, quo Joannes Scepusius nondum rex, agrestium funestissima aduersus nobilitatem arma, una cum Stephano Bathorio, copijs, diuitijs, clientelis et suorum studijs claro pariter adolescente compressit, lateque grassans, incendium extinxit. Postea Mohaciensem longe funestiorem cladem parante nobis fortuna, idem Ste-

Stephani Principis genus, paulo altius repetitum.

phanus, principis huius parens, Ludouico Regi eximiam fidelemque nauauit operam, dum ad Joannem Scepusium Principem tunc Transiluaniae, peculiaribus cum mandatis missus, illum iter cum copijs ad Regem accelerare admoneret: sed ille contrarijs iterum iussis domi opportunitatem rei gerendae aucupari ex senatus consilijque regij decreto iussus, infelici proelio, et Regi ad suum regnique exitium inconsulte properanti, praesto esse non potuit. Quamobrem Joannes postea Rex memor fidelis obsequij et studij, summa cum diligentia praestiti, eundem Batorium Transiluaniae praefecit. Quam quidem prouinciam, tanta innocentia, tanteque opinione iustitiae, continentiae, mansuetudinis rexit, ut nullum uel auaritiae, uel luxuriae, uel contumeliae signum sit in ea auditum. Nulli ciuium quicquam ademit, abstinuit alieno, pietatam uniuersalem coluit, iustitiam ex aequo administrauit. Jam et illud gratiam et fauorem omnium ad Stephanum eligendum accendebat, quod eius olim aui Nicolai frater germanus*) cognominis, heros clarissimus sexaginta Turcarum millia, qui ad uastandam Transyluaniam irruperant, in campo Panis, magna cum fortitudinis laude, una die profligauerat, totamque prouinciam periculo praesenti eripuerat. Cuius bene meriti praemio, par erat ut pronepos ex fratre eius, hic nempe Stephanus frueretur, meritaque ac debita gratia nunc tandem illi iuxta atque huic referretur. Jure enim plus merere debet, in quo uirtus est. Neque uero hic tantum constitit

*) Ehez Szamosközy oldaljegyzete a bécsi codex 104. lapján: hanc genealogiam Christophorus Varsenicius Polonus in funebri oratione Stephani Poloniae Regis recenset, sed non puto verum esse. Somliorum enim Bathoriorum familia multorum saeculorum discrimine a Batoris qui in Echÿed dominant, separatur.

maiorum eius in rempublicam Vngaricam studium et beneficium. Proauus si quidem diui huius Principis et Regis ad Varnàm cum Ladislao Rege, pro Deûm pietate, pro patriae libertate fortiter dimicans occubuit. Cuius familiae alta series, rerumque gestarum claritudo, si ex archiuis, historijsque depromenda esset, uix ulla stirps e nostratibus proceribus inueniri posset, quae huic et uetustate originis, et rerum gestarum magnitudine conferri posset. Nec uero necesse est inclytam hanc familiam, ad Batonem quendam Regem Pannoniae deducere, uti Bonfinius credi postulat; cum domesticum habeat non minus indigenarum uirtutum, quam antiquae appellationis nominisque etymon. Bator enim uerbo nostro uernaculo, fortem magnanimumque significat, unde oppidum cognomine super est in Vngaria, conditoris haud dubie nomen seruans. Huius familiae claritas, ad Batorem Opos, Martini filium, se refert, quem ex Vencellini genere progenitum, ternaque monomachia insignem, Bonfinius in historijs Vngaricis plane recitat. Nam is Opos, primum in Salomonis Regis Vngariae castris merens, uastae magnitudinis Boëmum singulare certamine deuicit, mox idem Petrum Geisae Regis Equitem audacissimum uiritim dimicare uolentem, traiecto pectore superauit, ac postea Salomone Rege Nitriam urbem oppugnante, idem Bator Opos, ex opidanis unum pro *) urbis porta obtruncauit. Is autem Vencellinus, ex historiarum nostrarum traditione, Alemania oriundus, non minus natalium splendore, quam clarissimis in Vngaria facinoribus nobilis, Sancto Regi Stephano hospitij iure coniunctis-

*) Helyesen: prae.

simus fuit, Pannonniaeque nobilitatis primas exstitit, ac dignus habitus quem diuus Rex Stephanus, in Cupam ducem bellum moturus, uniuersi exercitus imperatorem crearet. Hunc progenitorem splendorem, procedentibus seculis, nunquam interrupta felicitate ad extremum usque Vngariae occasum, posteritas Batoria, ijs maioribus non indigna, tanta cum laude ac uirtute conseruauit, ut praeter insignes triumphos, relatasque superioribus seculis de Turcis uictorias, in regiae maiestatis fastigium nostra tempestate euecta sit. Hic Batoriorum splendor, ingentiaque in rempublicam Vngaricam a principio merita, dignum effecerunt Stephanum hunc Batorium, in quem uniuersa Transiluania, ora et animum conuerteret principatuque honestaret. Nec uero tantum parentis, maiorumque amplissimis honoribus, aut errore hominum in principatum obrepsisse putandus est Stephanus: sua ipsius uirtus, suaque in rempublicam Christianam merita, dignum illum summo honore iuxta et gratiosum fecerunt. Primis militiae tyrocinijs una cum Joanne Balassa magnae uirtutis et nobilitatis adolescente, in bello Temesuariensi, Agriensique Stephanus est initiatus: cum nempe Temesuar, magna cum patriae ruina amissum, Agria uero ingentibus uiribus, animisque obsessa, propugnantium fide et uirtute omnem hostium insultum subtinuisset. Stephanus tunc sub Andreae Batorij gentilis sui, principisque Transiluaniae signis merens, quicquid castrensis ratio poscebat, summa fide et diligencia obibat, equitando, decertando, ordines ductando, omnia militari labore tolerando. Quapropter iam tum in primis illis militiae crepundijs, magnam laudem a summis quibusuis uiris consecutus fuerat, quae postea

Stephani Principis militaria exercitia.

non intermisso tenore, ad extremum usque uitae multis accessionibus aucta cumalataque est. Procedente autem tempore, cum summa ingenij indoles maioribus factis elucescere coepisset, aetasque ad maturiores annos properaret, ne domi inter suos desidia torperet, animumque ad maxima quaeque natum fortunae indulgentia molliret, Andreae Christophorique fratrum monitis in aulam Ferdinandi Caesaris concessit, ubi ob summam indolem ingenijque elegantiam, tanti a Ferdinando tali Imperatore est habitus, ut cum plures eodem tempore in aula illius Transiluani magni nominis adolescentes uitam degerent, hic solus per excellentiam, ex mirifica eius indole praesagio concepto nobilis e Transiluania iuuenis a Ferdinando Caesare uocaretur. Hic dum Stephanus Caesaris ministerijs uacat, non libero quidem arbitrio nec sponte, sed magna tamen cum animi promptitudine, ad Italiam uisendam ingressus est. Nam cum Catharina Ferdinandi Caesaris filia, Mantuae duci nuptum data esset, Batorius in comitatum ducendae sponsae lectus, lumen Italiae conspexit, plurimosque principes uiros e natione cultissima et humanissima, officio consuetudinis et amicitiae sibi deuinctos tenuit. In summa nihil egit, nihil dixit, quod exemplar aliorum non fuerit. Cum seueris grauiter, cum remissis iucunde, cum senibus ueneranter, cum iuuentute comiter, cum principibus uiris obseruanter, cum omnibus modeste officioseque semper uixit. Reuersus ex Italia in Ferdinandi aulam, non potuit diu peregre abesse. Mox enim patria tempestate urgente, in Transiluaniam redire coactus est. Vbi postea uarijs utriusque fortunae casibus iactatus, semper tamen animi fortitudinem in aduersis, constantiam in secundis rebus te-

Junckher von Zibenburg.

nuit. Nempe uirtus sui semper similis est, et quantumuis iactetur, nunquam tamen obruitur; sed uelut ignis ad summa semper nititur, et cum uinci putatur, uincit.

A Clemente Artandio Ferdinandinarum partium barone, qui in arce Kereki, Varadino uicina dominabatur, Batorius quodam proelio captus, in uinculisque habitus, fortunae clementia tandem solutus est. Ad Hadadum oppidum cum Francisco Némethio, aduersus triperfidum Melchiorem Balassam infeliciter pugnauit, uulneribusque affectus est: ubi uictoria ab honesta causa, ut plerumque solet, ad iniquam declinans, labem quidem publicis rebus nonnullam sed nomini et existimationi Stephani nullam inflixit. Quibus quidem casuum uicisitudinibus, dum Stephani gloria uel in periculis uescit, lateque enitescit, Joannes secundus Princeps Transiluaniae, Varadiensem praefecturam non magis honoris quam oneris gerendi causa illi imponit; qua quidem provincia nullum e Transiluanis muneribus est uel negociosioris curationis, uel honoratioris maiorisque dignitatis. Quippe cum duplicem hostem habeat Varadinum, Germanum et Turcam, utrumque potentissimum et infestissimum, uterque pariter coërcendus erat. Nemo Stephano habilior, nemo ad id gerendum aptior uisus est. Nempe magistratus uirum ostendit, ut prouerbium habet. In flumine tranquillo, cymba a quouis regi potest, in mari impotuoso non nisi peritissimo nauclero nauis committi solet. Huic regimini Stephanus praefuit, non minore iustitia, quam fortitudine. Domi iuxta ac militiae, rem ad normam aequi iustique administrauit, gliscentes motus antequam erumperent, singulari prudentia composuit, carus prouincialibus, gratus omnibus. Turcas uicinos, ne quam tumultuandi ma-

Stephani postea Principis in administrando Varadino integritas.

teriam suggereret, muneribus, blandis precibus, ui etiam ac minis in officio continuit. Sulimaniano tandem bello postremo, orator ad Maximilianum iterum missus, dum uniuersas animi uires, ad componendum tranquillandumque regni statum intendit, irritam operam nauauit, contrarijs Casparis Bekesi consilijs omnia turbantibus, qui Joannem Principem Stephano absente ad conuellendas pacis conditiones detorserat: unde factum, ut incepta inter ambos Principes confoederatio, nullum laetum euentum sortiri posset. Quae quidem Joannis inconstantia, cum Bekesi malignitate coniuncta, publicis rebus detrimentum, Stephano uero oratori tantum non exitium peperit. Captus enim a Maximiliano, qui Joannis leuitatem in sui ludibrium et contumeliam trahebat, biennium Viennae liberali custodia est detentus: Caesaris benignitate Stephani talis uiri uirtutibus et inocentiae plurimum suffragante, iniquumque censente, ob alienum crimen, oratoris nullius mali conscij uitam in discrimen adducere. Nullum paene fuit in rebus Vngaricis, magni alicuius momenti negotium in quo partes ipse summa cum honestate non gessisset: nullus ad eiusmodi dignitatis fastigium exercitatiore uita peruenit, prorsus ut ad negotium et uirtutem, non ad ocium natus esse uideri possit.

His et alijs Stephani Batorij uirtutibus, animique excelsi dotibus inducti proceres, uniuersaeque nobilitatis concio, dignum illum tali muneri capessendo, regnoque administrando censuerunt.

Per idem tempus, dum haec in Transiluania administrantur, Maximilianus quoque Caesar, filium natu maximum Rodolphum, indicto Vngarorum conuentu, Posonij in aede diuo Martino sacra, quod felix

Rudolphus Rex Ungariae creatur.

et faustum esset, in Regem Vngariae coronandum curauit, anno a Stephani principis electione altero, VII. Kal. octobris.

Aberat tunc Transiluania Casparus Bekes, cum Stephanus Batorius Princeps ab ordinibus renunciaretur. Missus enim ab Joanne Principe in comitia augustalia Spiram, ut inchoati foederis, pacisque inter ambos Principes conditiones, tum uero coniugialis pacti leges, Principum Imperialium auctoritate intercedente, conficeret, eo absente Joannes e uita discessit: nec exspectato Bekeso cum rediret, Stephanus Batorius dijs hominibusque applaudentibus Princeps declaratus est. Reuersus ille, tacite secum furere, indignationem animi premere, nihil non clam moliri, quo Stephano inuidiam creare, magnatesque de proposita sententia electioneque Stephani depellere posset. Erat Casparus Bekes, cui ab uico Corneto gentilicium cognomen datum est, Ladislai uicepraefecti Lugasiensis (uice Banum uocant) filius genere Valachus, qui pupillari aetate patre orbatus*), primum in aulam Joannis adolescens ob patris merita inter liberaliora seruitia insertus est; mox accidente maturiore iuuenta, aliud post aliud, ut solet aulae ministerium subiens, tandem in cubicularium principem assumtus est. Adeoque fortunam fauoremque Principis in potestate habuit, ut non interrupto felicitatis tenore, paene omnes Vngaros proceres gratia, auctoritate, fortunisque anteuerteret, prorsus ut quicquid uellet, ad nutum eius praesto semper esset. Elucebat in eo, magni excelsique animi mirifica quaedam indoles, ingenium

Bekes ab Joanne in Comitia Spiram missus redit.

Bekes indignatur.

Caspari Bekes genus.

*) A bécsi cod. 108. lapján alól e jegyzet áll Bethlen F. kezével: primum in Aulam Petrovitij est commendatus, post mortem Petroviczi ad Aulum Joannis 2. di Regis devenit.

quantaecumque fortunae capax, in administrandis negocijs suae fidei commissis, in legationibus obeundis, in omnibus denique rebus, prudentia et singularis animi sagacitas. Et uidebatur ille allaturus esse ad eam dignitatem, omnia digna indole et prudentia sua, tum uero a rebus atque fortunis suis, conuenientia ad tuendum splendorem aulicum praesidia. Proinde cum apud Joannem penitiorum consiliorum conscius, aerarijque secretioris praefectus esset, tantam sibi auctoritatem apud omnes, fauorem apud multos comparauerat, ut uel Joanne uiuente adhuc, tacite candidatum se summi magistratus gerere auderet, dignumque se iudicaret, qui demortuo Principi prae alijs omnibus succederet. Et sane, si tunc cum Joannes uita defunctus est, domi Bekesius fuisset, uix cuiquam dubium est, quin ille consilia calculosque ordinum concitata seditione turbaturus fuisset, in seque potissimum tumultuariam saltem electionem, eblandita nobilitatis suffragia, quibuscumque tandem artibus potuisset, translaturus fuisset; praesertim cum ipse quoque Joannes, successorem sibi eum, ut fama erat, delegisset. Quamquam nec ordines a Bekeso multum abhorrere uidebantur, ni genus fuisset obstaculo. Malebant quiduis perpeti, quam Valachum principem ferre. Alioquin erat ille inter omnes Transiluaniae proceres, opibus, seruitijs, lata amplaque ditione paene nulli secundus: fauore tamen et amore, non aeque tamen apud omnes gratiosus. In Batorio uero contraria omnia. Nam cum opibus, facultate, diuitijs, amplo latifundio Bekeso par non esset; gratia, amore, fauoreque popularium, tum maxime generis claritate et uetustate, rerumque gestarum gloria, cum eo contendebat, meritoque praeualebat. Accedebant maio-

Bekesij ambitio.

rum merita, magnaque et uetus prosapia, quae in Bekeso nulla aut exigua erat. Tum uero in Stephano statura corporis eximia ac uere regia, decora et plena facies, capillorum ornamentum, quae licet fortuita esse et inania putentur, in summis tamen et eminentibus personis plurimum uenerationis acquirunt.

Hoc in statu cum Bekes apud Joannem secundum fuisset, ubi Spira reuersus est, nouum Principem, nouum rerum statum, noua omnia in regno reperit. Cum autem natura mortalium praeceps sit ad explendam animi cupiditatem, nihil aegrius tulisse fertur, quam Stephanum Batorium in omni uita acerrimum honoris et existimationis suae aemulum, principatum sibi praeripuisse. Maluisset e medioxima nobilitate infimum quemlibet magistratu potiri, seque illi submittere, quam Stephanum in id honoris fastigium prouectum Cum hoc modo Bekes simultates et inimicitias in Stephanum Principem susceptisset, nec cupiditates suas et impotentiam in animis inclusam cohibere posset, repente ex tranquillo nec opinatus belli motus conciuit, quem mox in publicam patriae et priuatam multorum cladem uertit. Cum autem natura hominum ita sit comparata, ut aliorum fortunam e tenui et paupere statu emergentem aegris oculis intueatur, Bekeso quoque quantum gratiae in uulgo diuitiae conciliabant, tantum sane uel etiam longe plus, generis nouitas et inuidiosa fortuna illi detrahebat; quod quidem efficiebat, ne illi ad Principatum capessendum ulla uia patere posset. Hoc in statu cum Bekes esset, ne se obnoxium Stephani indignationi et iniuriae faceret, ubi statim a caesareis comitijs redijt, in arcem suam Fogaras se recepit. Ubi dum degit, nihil clam palamque omittebat, quod ad

Bekes iniquo animo fert Stephani Principatum.

conflandam Stephano inuidiam faceret. Vocatus ad comitia uenire recusabat, uectigal legitimum eius ditioni subiectis imperatum interpellebat; priuilegiaque sua a Joanne Principe donata pro libero baronatu, quam uocant, iactabat: ad suffragia regni accedere, electioneque Principis subscribere nolebat: liberum dominatum, nec ullius imperio subiectum, sibi arrogabat: Maximiliano Caesari fidem suam et obsequi obstricta esse dictitabat, et iam omnibus neruis atque animis ad illum cogitabat. Quae omnia publicae tranquillitatis turbandae manifesta erant argumenta. Jam et illud ferebatur, Turcarum Imperatorem audita Bekesi tumultuatione, unum e basis missurum fuisse, qui Bekeso uel capto uel fugato, arcem eius in potestatem redigeret, quae res manifestum regno exitium intendere uidebatur. Haec ne in apertum incendium erumperent, mature Stephanus habita cum primoribus consilijs deliberatione, in fumo exstinguenda esse duxit. Narrabantur aliae quoque causae, quae Bekesum fiducia sui, et Maximiliani, cui se addixerat, potentia tumentem, dicto minus audientem faciebant. Nam et quod foederi non staretur, quod se interprete inter Maximilianum et Joannem ictum erat, in contumeliam sui dedecusque trahebat. Proinde perfidiosum et nefarium ducebat, fidem qua se solenni iuramento Maximiliano obstrinxisset, fallere.

Causae inter Stephanum Principem et Bekesum simultatis.

Deinde discordiae fomes uel maximus erat, arcis Fogaras possessio, quam ex Joannis Principis liberalitate uidebatur Bekes iure legitimo obtinere. Arx Fogaras cum oppido, transmontanae Valachiae uicinitati, Sarmaticisque montibus appropinquat, lato feracique agro uber. Et quia montes niuosi totum illum tractum subiugant, melioris notae uitibus regiuncula

caret; ceterum frumento, pecuarijs, omnique annona tam uber habetur, ut cum ipsa ubertate contendere possit. Maylatiae magni nominis familiae, uetus patrimonium Fogaras fuit; quod post Stephani Maylati, fraude Turcorum intercepti interitum, Gabriel eius filius, non satis ad rem attentus quadraginta*) florenum millibus, uix quadrantem iusti ualoris, facta aestimatione arcis, attingente summa, Joanni Principi uenum dederat, precioque paruo a parente acceptum loculentum patrimonium alienauerat. Ne uero Gabriel tanti momenti possessionem, temere uideretur uendidisse, emanarat per id tempus fama in uulgus, e uero-ne uel uano orta, non satis liquet: Bekesum diuturno flagrasse desiderio arcis Fogaras potiundi, cuius possessionem cum manifestis et honestis rationibus consequi se posse desperasset, calliditate et fraude se in eam ingessisse. Nam cum summis ad Sulimanum legationibus fungeretur, reuersus aliquando finxit sibi in mandatis a Sulimano datum esse, uti Gabriel Maylatus ob crimen paternum, qui perduellionis damnatus, captus et ad Sulimanum perductus fuerat, quia ipse quoque eiusdem criminis teneret, Byzantium uinctus transmitteretur. Quod cum ita Bekes finxisset, suasor auctorque Maylato fuerit, ut in tempore, arcem, et quae in facultatibus haberet posita, quanticumque posset, uenderet, eademque pecuniae summa, in Morauia, uel ubicumque uisum esset, in imperiali ditione, tutum pacatumque dominium compararet. Nam et Joannem Principem, uix certum et exploratum habere, an possit Sulimani postulatis refragari, si ille obstinatius in tam crudeli proposito perseuera-

Fogaras arcem vendit Majlat adolescens.

*) *Talán más kéz által kijavítva :* triginta.

ret. Hac fraude circumuentus adolescens, ac de uita fortunisque desperabundus, fertur, arcem Joanni Principi uendidisse, quam ille postmodum Bekeso donauerat, in qua ipse posterique eius iure quoquis optimo, perpetuo haererent. Verum Batorius Princeps, eam arcem, quam Bekes per fraudem inuolasse putabatur, legitimis haeredibus restitui uolebat; non tam Gabrielis Maylati causae patrocinans, qui iam pridem Transilvania excesserat, quam fratris sui Andreae Batorij filijs, Stephano, Balthasari, Andreae et Gabrieli, quos ex filia Stephani Maylati Margarita susceperat. Et paratus erat Stephanus Princeps, Bekeso eam summam, qua arx empta fuerat, dependere: eamque ob causam Alexandrum Kendium uirum summum et prudentem et Georgium Blandratam medicum frequentes ad eum ablegauerat; qui monerent, ut accepta pecunia consuleret et suis rebus et publicis. Ille obstinate recusare, negareque se suas fortunas fidelibus obsequijs partas temere prodere prodigereque uelle. Siquid iuris in ea Stephanus Princeps praetenderet, legibus experiretur, non iniquis postulatis interuerteret. Haec disceptatio eo tandem processit, ut consentiente Batorio, totam controuersiam iudicio legibusque discernendam esse constituerent. Ne uero alteruter corruptelam iudicij uel fauore uel largitione moliri posset, placuit arbitrium altercationis ad Imperatorem Germanorum, ueluti litis sequestrem, reicere. His ita constitutis, misit Maximilianus Caesar in Transiluaniam, minuendae controuersiae gratia, Franciscum Ibranium, uirum nobilem et iuris Vngarici peritissimum, qui de amborum lite cognosceret. Hîc cum Stephanus Princeps diu disceptata causa, animaduerteret Ibranium in Bekesi rationes

Batorius et Bekes litigant.

propendere, totam controuersiam suspendi passus est. Quae res magni paulo post tumultus causa exstitit. Nam post hanc litem contestatam quidem, sed iudicum sententijs non decisam, dum simultates inter eos, clandestinaeque molitiones exercentur: et uelut immatura hulcera ad leues quoque tactus indolescunt, ita illi ad exiguas quaslibet offensas excandescunt, nec alter alterum ferre potest: ratus Stephanus diuturnum non fore utroque sospite alterius statum, quem legibus non poterat, gladio Gordium nodum amputandum esse censuit.

Bekes peculatus postulatur.

Accedebat ad inuidiam Bekeso conciliandam suspicio, iam pridem per ora hominum grassans, Bekesum bonam partem regij thesauri, cum penitioris aerarij praefectus Joanne Principe esset, expilasse in suumque peculium auertisse, aliaque regni commoda priuatum suum quaestum fecisse, indeque amplissimas opes corrasisse; restitui fisco Stephanus contendebat. Bekes contra, quidquid id esset, negare: si quid cuiquam per uim, per dolum malum, per fraudem abstulisset, traxisset, empsisset, rapsisset legibus cognoscendum uindicandumque cupiebat. Praeterea fama diuulgatum erat, Bekesum collectis conuasatisque omnibus, quaecumque auferri poterant, in Imperatoris partes, cui iam fidem suam obstrinxisset, excedere uelle. Quod antequam fieret, ne uis illa ingens opum, quae fama percrebuerat, extra prouinciae fines efferretur, bello praeuertendum Stephanus censebat. Auxerant inter eos odium, ueteres rixae, et capitales inimicitiae. Nam dum Bekes apud Joannem Principem, gratia, fauore, auctoritate (quam incantamentis nouercae comparasse uulgo increbuerat) supra omnes alios floreret, Batorijs fratribus omnem emergendi uiam in-

tercludebat; et ut solet fieri cum suspicio animum cuiuspiam occupauit, uel leuia rerum momenta in deteriorem partem rapit, Stephanus uitae fortunaeque suae saepius ab eo insidias structas, exitiumque machinatum esse suspicabatur. Ferebatur quoque uulgo Bekesum, Siculos perduellionis iam pridem damnatos et libertate spoliatos, multo fauore ad se tacite traducere molitum esse, ut siquid Stephanus aduersus eum moliretur, illos ueluti paratos ad partes, in arma excitare derepente posset. His odijs suspicionibusque uterque armati, non iam priuatam fortunam, sed publicam tranquillitatem in discrimen uocare pergebant. Quo circa Bekes, ne quam ulli tumultui ansam daret, non in comitia, non in aulam, non in publicos ullos conuentus prodibat, non se consilijs ingerebat. Domi se continebat, et quia iam amplificandae fortunae spem animo abiecerat, nec se Batorio uiribus parem esse uidebat, periculum sibi ex nec opinato timebat. Semper tamen aliquem ex suis in comitia ordinariosque conuentus mittebat, per quem regno et Principi debita obsequia spondebat. Iam biennium amplius effluxerat, absquo Batorius et Bekes mutuis inimicitijs laborantes capitaliter dissedebant, eoque res processerat, ut necesse esset alterutrum uita fortunisque deturbatum iri. Proinde Stephanus trito Vngaris prouerbio dictitare solebat: Binos ancipites gladios non posse una uagina contineri. Hanc ob rem satius esse ducens praeuenire, quam praeueniri, Bekesum dignitatis fortunae suae acrem a principio aemulum, ne haec mutuae simultatis tempestas in rempublicam redundaret, statuit uel uiuum uel mortuum in potestatem redigere.

Ergo praeparatis clam omnibus, quae ad bel-

Batorius Bekesum bello aggreditur.

lum oppugnationemque necessaria erant, accitisque de repente primoribus nobilitateque uniuersa, quae ex lege suis stipendijs militare solet, nec opinata obsidione tam arcte Bekes in arce sua Fogaras circumuentum est, ut quorsum animum, mentem, consilium appelleret, quidue in rem suam dignitatemque et existimationem, adeoque uitam suam tuendam fore conduceret, plane nihil haberet. Ante uero quam Batorius Alba moueret, simulata graui admodum ualetudine, portas urbis biduo claudi firmaque custodia teneri iusserat, ne ulla consilia dum armantur intus copiae, dum tormenta praeparantur, euehuntur, ad bellumque instruuntur, foras efferri, Bekesoque exploratorum opera innotescere possint. Quibus ita constitutis, commodum bini transfugae a Bekeso ad Batorium Albam occurrerunt, Benedictus Demieni, et Stephanus Molnár, qui sacramento auctorati stipendia apud illum fecerunt. Et Stephanum quidem e Turcarum dira seruitute precio redemtum, iam pridem in clientium suorum numerum receperat, liberaliterque diu Bekes fouerat. Hi quicquid de illo operae pretium fuerat cognoscere, aperiunt. Nulla illum belli uel suspicione teneri. Ad rem familiarem curandam, ad uindemiam, ad alia quae usus poscit intentum esse; occasionem capiendae arcis, Bekesique in potestatem redigendi, uel nunc hanc fieri posse, uel nunquam aliam commodiorem fore. Erant duces praecipui Batorianarum copiarum, Georgius Banfius cui a Losoncio oppido uetus cognomentum datum erat, uir gerendis magnis rebus accomodus. Et hic quidem equestrium copiarum summus magister. Peditatui praetoriano, qui ab habitu caeruleati appellantur, sexcentique in aula Principali ad obeunda

aulae ministeria noctes diesque excubant, praeerant Michael Vadas, et Joannes Sasa, uiri ad quaeuis militiae officia roborati, frequentibusque praelijs, ac rerum militarium usu celebres. Ipsi uero Bekeso erant in arce, quorum fidei et custodiae eam rediderat, uiri nobiles, fide et usu rerum insignes, Nicolaus Sarmasagius militari uirtute clarus : Lazarus Bekes, ipsius Casparis frater germanus, inuicti iuuenis animi; Gabriel More, Nicolaus Horuatus peditum dux : atque inter hos Paulus Julanus, uir liberali eruditione ornatus, quam peregre in luce Italiae ex Bekesi liberalitate diu acquisiuerat, ob cuius in se merita, debito obsequio et fide deuinctus illi erat. Ergo Bekes obsidione subito circumuentus, cum hoc illi improuisum inopinatumque accidisset, suorum monitis et precibus ad tuta salutariaque consilia capessenda, quae praesens necessitas imponebat, inductus est, ut uitam praesenti periculo eriperet, et si ita aspera fortuna ferret, amissione bonorum redimeret. Nemini enim dubium esse, sibi si quid durius ingrueret, nullam spem ueniae uitaeque superfuturam, cum mille adeo insidijs a Batorio petatur, capitalique odio insectetur. Saepe honestis in speciem rebus, et nonnullam fortitudinis opinionem prae se ferentibus, tuta salutariaque consilia praeferri solere. Sapientis esse, fortunae urgentis impetum declinare potius, quam uenientis ictum temere excipere, succumbereque. Etiamsi arce bonisque omnibus impetens uictor potiretur, modo uita incolumis persisteret, non omnem intercipi spem, haec olim recuperatum iri, quae nunc fortunae iniquissimo arbitrio eriperentur. Eam esse Stephani Principis clementiam, animique moderationem, ut uel capitalibus inimicis, etiam ijs qui ferrum

Batorius Fogarasum obsidet.

flammamque in patriam deorumque aedes immisissent, ignoscere didicisset: memor se quoque fragilitati eidem esse obnoxium, cui omnes mortales subiecti sunt. His auditis Bekes, pollicitus est se in eorum potestate futurum, salutariaque consilia libenter arrepturum. Ergo Bekes arce excessurus, Paulo Julano, cuius fidelem animum iam pridem grauissimis in rebus expertus erat, custodiam thesauri sui, et quae sibi cara e rebus domesticis erant, commisit, praecepitque, ut si necessitate extrema uicti, deditionem facerent, totum thesaurum suum integrum, illibatumque uictori Batorio traderet, daretque operam, quoad eius facere posset, ne quid eorum a milite populabundo, et ad praedam agendam praecipite diriperetur, quae sibi in re familiari cara praeciosaque fuissent, ita sperans fore Bekesus, ut si ea in unius uictoris manum peruenirent integra indistractaque, facilius olim recuperare posset, ubi Deus benignior rebus suis aspiraret. Sed irrita spe irritoque euentu, haec consilia ab illo habita fuisse, experientia, rerum magistra, non multo post tempore ostendit. Ne uero ipse Bekes patria extorris, ut nunc a fortuna, ita olim a spe et fortunis penitus deseretur; exquisitiorem thesauri partem, gemmarum unionumque uim maximam, et quicquid id genus actuario cursu tamquam e medijs flammis eripere potuit, secum abstulit, dictitans : se si modo uitam cum hac opum parte, ab horum uiolentia subducere in tutum posssit, pro Fogaraso, quam in praesens esset amissurus, binas arces tantidem momenti se peregre nacturum.

Bekes Fogarasino se subducit.

Quibus ita constitutis, Bekes nullius iam nisi fugae memor, in arce pro uiribus defensanda, eos, quos diximus, nobilissimos homines, et quorum fides

Bekes Fogaraso clam excedit.

explorata sibi erat, reliquit. Ipse conuasatis omnibus, quae cura sibi inprimis et preciosa erant, quantum rei temporisque angustia sinebat, effugio incolumitati uitaeque suae prospicere constituit. Ne autem fuga eius manifestis indicijs proderetur, iussit tubas, beccinas, tympana, classica, tormenta aliaque id genus machinamenta, quibus militum animi ad rem gerendam concitari solent, ex aduersa arcis parte, e regione hostilium castrorum intendi. Mox hic e propugnaculis, quasi excursione ex arce facta, Stephani Principis castra oppugnanda forent: clamores tolli, buccinis concrepari, tympanis tormentisque intonari, picati sulphuratique globi, cum facibus ardentibus, in castra hostilia immitti coepta sunt. Quorum tam subitae ferocique eruptioni obuiam ituri Batoriani omnes qui foris erant, in uallum castraque ad uim propulsandam, quae imminere ab obsessis fingebatur, concurrerunt. Hoc modo cum omnium oculi et animi in eam arcis partem intenta essent, unde repentina militum eruptio putabatur, Bekes praesenti commoditate usus, ab auersa arcis parte per porticum se proripuit, noctisque et tenebrarum beneficio adiutus, incerta admodum et laboriosa fuga, per alia atque alia consilia trepidans in tutum euasit. Dum portis furtim exit, ne ferratae equorum calces sonitu fugam proderent, carbatina e crassis lodicibus consuta, plantas eorum calceauit, hocque modo multum itineres spatium emensus est. Filium Gabrielem (ipse, defuncta paucis ante mensibus coniuge, caelebs id temporis uiuebat), quia in tutum deportandi facultas non erat, Dei prouidentiae, fortunaeque arbitrio in arce reliquit. Elabente Bekeso, rati obsessi frustra se Batorio Principi, cuius uictoria iam in praecipiti erat, repug-

Fogaras deditione occupatur

naturos, pacti incolumitatem deditionem fecerunt cum totos XIX dies ualide arx oppugnata fuisset, praesidij ducibus magni animi et fidei constantia, eam quam diu licuit, defensantibus. Opulentia Bekesi, cui tantopere illi cauerat, non tota nec integra in potestatem Stephani Principis peruenit, militibus et cohortium praefectis, ut in re tam perturbata fieri solet, palam, furtim, quaeque ad se rapientibus occulentibusque. Dedititijs fides praestita et quo quemque uoluntas ferret, dimissi. Multi ad stipendia Principis auctorati, fidelem postea domi militiaeque nauarunt operam. Hoc modo Stephanus arce Fogaras in potestatem redacta, imposito praesidio, sui iuris eam fecit, eo quod armis acquisiuisset. At Julanus tum ob suspicionem corrasi occultatique bona ex parte Bekesiani thesauri, tum ob effugium sui patroni, aliaque consilia clandestina, quae in Batorium Principem machinatus ferebatur, custodiae traditus est. Ex qua tamen postea dimissus, ob ingenij elegantiam, acremque et industrium in negocijs quibusuis conficiendis animum, liberaliter a Stephano postea Rege Poloniae, succedentibusque Principibus habitus est. Bekes primum ad socerum Volfgangum Harinnaium, inde per nota montium siluarumque compendia in Vngariam
1573. oct. 20. effugit. Arx Fogaras capta a Stephano Principe ad XIII. Kal. Novembres, Anno eius temporis LXXIII.

Quae dum in hunc modum parum secunda Bekesi fortuna administrata essent, Stephanus Princeps ne uideretur talis uiri salutem, fortunas et dignitatem, absque ulla euidenti causa in periculum de-
Stephanus Princeps Bekesum perduellionis damnandum curat. duxisse, unde alienandi ab se animi ansa cuiquam uideri posset esse data: comitia ad saxonum oppidum Meggyies indixit, quo cum frequentes conuenis-

sent, post suscepti belli rationes multis uerbis expositus, senatusdecreto pronunciatum est, Bekesum perduellionis teneri, iure proscriptum, bonis spoliatum, regno eiectum. Qui omnes suos conatus non cessauerit in regni perniciem parare atque meditari: Maximiliano Caesari plus aequo contra regni edicta fidem obsequiaque sua obstrinxisse; de thesauris repetundis, de maiestate, de ambitu, de contumacia, de praeuaricatione iure meritoque damnatum esse: qui iam antea ipsa hominum tacita opinione horum omnium criminum reus sit peractus. Contra Bekesinae factionis plerique (nam et his comparendi potestas fuerat data) multa uerborum contentione pro Bekesi dignitate tuenda acerrime propugnabant: libertatem, leges, patriae iura abolita eo facto, funditusque euersa esse. Talem uirum, non e plebe unum, sed nobilitate, et multis maximisque in patriam meritis clarissimum opibus et dignitate uix cuiquam secundum, ui, armis, bello, iusto patrimonio pulsum, indicta causa proscriptum, in capitis fortunarumque omnium discrimen iniquissime coniectum clamabant. Si quid ille contra leges, iura principum, rempublicam deliquerat, si capitalem fraudem admiserat, si de peculatu, si de perduellione, de crimine quocumque anquirebatur, non deerat iure experiendi legumque arbitrio uindicandi in illum potestas. Et post longam uariamque disceptationem, fuerunt etiam ex ijs, qui antea auersi ab illo erant, inuidia iam in commiserationem mutata, qui sedandam quoquo modo discordiam esse, non ultione augendam suaderent, neue id crimen Bekesi, quidquid esset, capitali noxae haberetur. Proinde reuocandum esse, pristinae dignitati illum restituendum, bona omnia reddendum suade-

bant. Verum Batorius Princeps reipublicae communi omnium saluti consulendum potius uolebat, quam unius aut alterius turbulentorum hominum rationibus. Timendum enim dicebat, ne si diutius Bekes hic turbas dare tumultuarique perseuerasset; Turca ut saepe alias, nostram litem suam fecisset, unde certa regno pernicies erat accessura. Tum uero negabat Stephanus, se ullo modo commissurum, ut reconciliato hosti, dignitatisque suae a principio infestissimo aemulo, uitam amplius suam et fortunam credat, quos inter, dirempta capitalibus inimicitijs amicitia, tam non posset unquam coalescere, quam quod esset maxime dissentaneum, factuque difficile. Et haec principis sententia, gratia, auctoritate, fauoreque potentium fulta, postmodum uicit. Igitur capitali poena cautum, ne quis Bekeso secreti ullius copiam faciat, dandiue aut capiendi consilij ullum cum eo consortium habeat. Qui secus faceret, capitalis esset, nec aliter ac si ipse ferrum et flammam in patriam intulisset, damnas esset.

Maximilianus pro Bekeso ad Batorium legatos misit.

Excedente Bekeso Maximilianus Caesar, ne non omnia tentarentur prius, quam ad arma ueniretur, tam desperate laborantibus Bekesi rebus succurrendum ratus, legatum ad Stephanum Principem misit, per quem, quae in rem pariter utriusque essent nunciauit; consilioque, auctoritate ac studio omni egit ut Bekesus tam nulla certa de causa, regno fortunisque omnibus exturbatus, cognita accuratius re, restitui in priorem statum dignitatemque posset, si modo post arma ad bellum locus aliquis legibus superesset. Dolere se mirarique adeo, tam perturbatum conuulsumque esse eius regionis statum, ut honestis et amantibus patriae ciuibus, nulla nec in le-

gum, nec in parietum praesidio, spes salutis munimentumque superesset. Rogare itaque se pro ea, qua inter Christianos Principes fungeretur auctoritate, ne Bekesum causamque eius mera aequitate fultam, tam capitali odio, omnique iuris reiecto moderamine profligare e medio uelit: arcem, fortunas, bonaque omnia quae bello adempta essent, redderet. Meminerit, in ui facienda, fortunam in utramque partem dominari. Si in Bekesum actio perduellionis intentata est, quae praeiudicijs tantummodo non iudicijs enucleatis est damnata, liberum fore ad comitia imperialia totam litem transferre, ubi ex aequo et bono decideretur. Si hoc iustitiae asylum Batorius subterfugeret, uideret ne dum aequi honestique nullam rationem habet, in maius discrimen regni statum adduceret; non ignarus lubricam rem esse regnum, et magis in fortunae quam rationis arbitrio positum. Fieri enim posse, ut Bekes si a uolentibus nequit, ab inuitis sit ius suum repetiturus, quem semper ad obsequium tam promptum habiturus esset, quam ad iniuriam opportunum habuisset. Haec non sine stomacho nunciata, nullam Batorio necessitatem imposuerunt, ea quae nollet faciendi; non ignaro, si Bekes postliminio reciperetur nullam cum eo pactorum, quietis, concordiae, pacis societatem duraturam: cum praeteritorum malorum memoria (ut sunt hominum ingenia) ad uindictam semper illum et explendam animi cupiditatem incitatura esset. Ne tamen Imperatoris studium et auctoritatem aspernari uideretur, missis ad illum Emerico Suliok regni protonotario (quem uocant) qui postea in summum Cancellariatus honorem assumtus fuit, et Ladislao Somborio, magnae prudentiae et uirtutis

hominibus: rescripsit, sibi gratum esse, quod Caesar huius causae tam perplexae, tam difficilibus rationibus inuolutae cognitionem ad se recipere uelit. Sed quominus id speratum euentum consequi possit, multas obstare difficultates. Scire enim se, cum Bekeso reconciliatam gratiam sibi non fore diuturnam. Nec ordines regni passuros, turbulentum et seditiosum hominem amplius recipi. Et iam bona eius uarie distracta esse. Sententiam, quae in illum lata esset, minime rescissum iri.

Hoc modo Bekes cum uideret causam suam ui ac praeiudicijs potentum confossam esse, quid in tam deploratis suis rebus facto esset opus, multum cum animo suo uoluebat. Maximiliani Caesaris gratiae et fauori adhaerebat: sed Stephani potentiae quomodo occurreret, non satis explicatum habebat. Vim ui pulsandam esse sciebat, si modo eius perficiendi potestas suppeteret. Alioquin uanam esse sine uiribus iram uidebat. Nihilominus neque magnam neque ullam spem habebat fortunam in posterum laetius sibi aspiraturam. Quapropter spe, quod solum poterat, damna sua refouens, solitus erat, petito e sacris libris lemmate usurpare: non est abbreuiata manus Domini. Interea nullam opportunitatem praetermittebat, fauorem nobilitatis sibi tacite conciliare; et e proceribus Transiluanis, quos putabat rerum suarum studiosos esse, in fide retinere: alios promissis, donis, spe multa allicere, ac penitus omnium animos, quoad poterat, sibi deuincire. Nondum biennium effluxerat, cum Bekes et sponte sua, et factiosorum hortatu animatus, ad bellum Stephano Principi inferendum mentem appulit. Habuit siquidem e nobilitate et magnatibus complures sibi addictos, qui spem illi et animos

Bekes in Transiluaniam cogitat.

augebant, nunciabantque magno illum omnium desiderio teneri. Veniret modo, omnia ex animi sententia successura: uictoriam in procliui fore; cum Batorius exostus suis, paene in ultimo regni amittendi discrimine uersetur. Quorum ingentibus promissis in spem longe fortuna sua maiorem ille ingressus, nihil antiquius habuit, quam ut acceptum detrimentum ignominiamque, qua a Batorio Principe attritus erat, resarciret. Dolebat sibi, uiro pridem amplissimis honoribus fortunisque maximo, ita interclusam Transiluaniam, ut nunquam spes remigrandi in auitas sedes, suaque ac maiorum bona recuperandi esse posset, nisi fortunam industria audaciaque aliquo facto subleuaret. Nihil in Vngaria illi superesse, quo uitam ex dignitate traducere, et amissorum bonorum desiderium lenire posset. Nec a Maximiliano Caesare, parco et in rem suam nimis attento, quicquam sperare posset, ubi, ut antea, circumfluere omnibus bonis copijs, atque in omni rerum opulentia uiueret. Quae cum ita essent, ratus opportere se magnum aliquid aut facere aut pati, ultima tentare constituit. Supplex a Maximiliano auxilium petit, quo Transiluaniam inuadat, regnum Stephano eripiat, ac se in principatum, ui, armisque ingerat: atque ita non sua solum non recuperet, sed et omnia in potestatem redigat: Stephanum in eas angustias, in quibus ipse haereret, rerumque ac fortunarum uitaeque adeo discrimen praecipitet: eoque usque prosequatur, ut ubi pedem ponat non inueniat. Fertur Maximilianus sapiens et multum in futurum prospiciens Princeps, nec penitus Bekesum uoti compotem fecisse, nec repulsa affecisse. Itaque respondisse: pacem Christiani orbis, nolle se temere turbare. Scire enim, Transiluanum

Bekes copias conflat.

ita cum Turcarum Imperatore foederis legibus nexum esse, ut illi illatam iniuriam, Turca pro sua reputaret. Quo circa ne ulla ansa conuellendae pacis Christiani orbis a se daretur, nolle tam alieno tempore, submínistratis auxilijs, Transiluanorum pace turbata, suum pariter foedus, quod cum Turca intercederet, in discrimen adducere. Ne tamen penitus iustas eius preces abijceret, liberum illi fore dixit, uoluntariorum quantam liberet manum, ex quibusuis Vngariae partibus, ad signa furtim uocare, conscribereque, quibus ille, ueluti se rerum minime conscio ad sua repetenda aggrederetur. Hunc in modum non tam iubente quam annuente Maximiliano Caesare in cuius tutelam se totum Bekes regnumque Transiluaniae, si modo ea potiri posset, addixerat, repente magnam uoluntariorum manum, Vngaros, Germanos, diuersique nominis et linguae auxilia conflauit persuaso Joanne quoque Rubero, qui tunc Cassouiae, Vngariae administrationi, pro rege praeerat: uiro amplissima functione dignissimo. Praesertim autem Agrianis militibus, qui continuis cum Turca praelijs exercitati, ad omnem militiae disciplinam durati roboratique erant, duce Colomano Balai uiro forti et celebri, ad se attraxit, plurimosque alios promissis ingentibus spe ac muneribus, sed maxime ingentis praedae fiducia allexit. Ditissimam auri argentique regionem, tum uero procerum inexhaustas opes, beatamque rerum copiam omnium, spem expleturam esse; communem uictoriam, communem praedam futuram. Jam et ad limitaneorum praesidiorum praefectos in mandatis acceperat, quicumque castra Bekesi sequi uellent, liberum apud illum merendi potestatem haberent. Proinde ex nobilitate quoque Vnga-

rica nonnullos sibi adiunxit; inter hos Valentinum Praepostuarium, arcis Kallo praefectum, qui exercitatissimis militibus instructus copias eius auxit, et cum ipse diuturnis certaminibus in hostium rebus sat gnarus esset, eam praefecturam Turcarum uicinitati admotam, uirtutis ergo adeptus erat: Georgium item Prinium, Magnae Idae oppidi in Vngaria dominum, uirum non tam publica quam priuata fortuna pollentem, ualida militum manu ad se pellexit. Qui quidem magno apparatu splendoreque Bekeso se adiungens, abacum quoque aureis argenteisque uasis instructum, tum quidquid domi secretioris thesauri reconditum habebat, in stipendium militum profundens, ancipitis belli aleae, bona paene omnia subiecit, sperans se in certam exploratamque praedam descensurum, unde omnium rerum affluentibus copijs immensa accessione ditaretur. Venit et Christophorus Ciapius, uir e primore nobilitate magni nominis, qui Praepostuario in praefectura arcis Kallo successerat, laudabiliterque rem administrauerat; Fridericus Pancratius dux cohortium Vngaricarum in oppido Zathmár; Paulus Melithius; Francisus Loniaus, Georgius Fodoroczkius, Stephanus Soklosius, Zatmariensis ditionis administrator, quem prouisorem appellant; uir expillatione miserae plebis et crudelitate infamis, qua re inuidiosas opes congesserat. Et hic quidem trecentis peditibus suo aere conductis, quod ex plebis sudore et sanguine corraserat, in sudore et sanguine belli amisit. Affuit et Stephanus, Francisci filius e magna Suliocum familia natus, juuenis acer et experiens; et Joannes Kállai centenariae cohortis ualidam manum ducens; iuuenis admodum, adeoque dux antea quam miles: multique alij e potiore nobilitate con-

Vngarorum proceres qui se Bekeso adiunxerant.

fluxerant, quos uel spes luculentae praédae, uel libido militandi in bellum traxerat. Dux totius exercitus secundum Bekesum Paulus Deregniei erat, solertia facundiaque praeter caeteros ingsignis uir, tum uero auctoritate et rerum gerendarum scientia nulli secundus. Summa copiarum Bekesianorum ad quinque millia erant, quae postea in ingressu in Transiluaniam non nihil auctae sunt. Tantaque omnium in uictoriam fiducia erecta fuerat, ut nemo fere esset, qui sibi secundam praeliorum altam luculentamque praedam non sponderet. Sed enimuero nulli saepius, quam homines opinionibus inflati, et qui fastum insolentiamque ad rem gerendam afferunt, ab ultrice fortuna decipiuntur, turpiterque irrisi reijciuntur. Nam et ipse Bekes tantos sibi spiritus, tantamque arrogantiam sumpserat, ut omnes Transyluaniae tractus, opida, pagos, arces, munia publica, officia, ueluti certam praedam, datis diplomatibus inter suos dispertitus fuerat, ignarus, nusquam minus euentum, quam in bello uotis nostris responsurum.

Cum in hunc modum opinionum uanitas imbecilles animos occupasset, magna cum fiducia, parique audacia, adulta omnino aestate, et ad bellum gerendum idonea, Bekesus Zatmaro soluens, iter in Transiluaniam intendit, ea parte qua Samus fluuius, multis maeandris tortuosus, multasque insulas, praesertim in Vngariae campis, suis diuortijs fabricatus, exitum in Tibiscum late molitur. Locus et tempus Bekesi consilijs multum suffragabatur. Nam et aestatis sicca temperies, ad maturandum propositum illum urgebat: et ipse Samus liquatis alias niuibus et imbribus, agris ita infestus, ut ni perpetuo accolarum labore, immensis utrimque coerceretur aggeribus, sata omnia deuas-

Bekes Zatmaro mouet.

taret, itineraque clauderet: tunc ueluti Bekesianae conspirationi subscribens, in suum solius alueum arctatus, latum, tutumque iter ingredientibus aperuerat. His ita a Bekeso praeparatis, cum Stephanus Princeps fama sermonibusque omnium tam atrox illius propositum accepisset, nihil in tam subita re cunctandum ratus, antequam Alba moueret, ordines regni, omnemque adeo nobilitatem, quorum fides cognita sibi iam pridem exploratáque erat, mutatis quaquauersus ad celeritatem iumentis, litteras mittit, renunciatque: Bekesum infestissimum ab initio patriae hostem, perditis latronibus armatum, in regnum ingressum moliri. Communem hostem communibus uiribus esse summouendum: ne tot alias malis obnoxia patria, primum in Germanorum, deinde in Turcarum potestatem redacta, praeceps in exitium ruat. Quapropter damnatis omnibus alijs consilijs primo quoque tempore ad se armati militibusque omnibus rite probeque instructi, accelerarent. Rem praesentanae cladi expositam, dilationem nullam ferre posse, cum iam hostis, celerius omnium opinione, intra regni fines grassans Albam uersus contendat. Sedet ante, quam clandestina haec Bekesi molitio e latebris erupisset, Casparus Bornemissa, ad comitia Cassouiensia a Stephano Principe legatus, certis indicijs, praesentique uoce propositum Bekesi detexerat. Quae quidem res primum a Batorio uix credita, ac propemodum ueluti commenticia reiecta fuit: sed postmodum ipsa fama, quae e minimo sensim in maius exurgere solet, rumori populari non dubiam fidem fecit. Quia uero Batorius Princeps, magnam e nobilitate partem, cum Bekeso clandestinas pactiones iniuisse conspirasseque sciebat, eorum maxime,

Stephanus Princeps aduersus Bekesum uires colligit.

qui Germano plus satis addicti, propinquiora Vngariae loca accolerent: de rerum euentu anxius, nihil dubitauit, externo auxilio inniti, uictoriamque si cetera deessent, aliena manu parare. Atque ideo quod tempus, necessitasque ferebat, placuit ad Bassam Budensem legatum cum muneribus mittere, ut quia Selimus Turcarum Imperator, Transyluaniam tributariam sui patrocinij esse duceret, Bassa unum aliquem e finitimis Begis non tam numerosa quam ualida militum manu suppetias uenire iuberet, quorum coniunctis auxilijs, regio a Germanorum imperio, praesentique impressione uindicata, in Sultani fide requiescere tuto posset. Jam uero et ipse Bekes, non dubius Stephanum Principem difficillimis suis rebus Turcarum opem imploraturum, antequam ex Vngaria moueret, fidum sibi hominem et multa necessitudine coniunctum Emericum Antalfium, ad primarium secretiorum Caesaris consiliorum Vezirem, cui Bekes notus erat, Constantinopolim miserat, multaque uerborum et promissorum opulentia, regnum Transiluaniae sibi deposcerat, renunciaratque se tributum duplo maius, quam quod a Stephano penderetur, Imperatori potentissimo dependsurum, constantiusque in eius fide perseueraturum quam Batorium, qui transactione cum Germanis facta iam se totum regnumque in illius potestatem commiserit. Quapropter rogare, ne ullum auxilium laboranti Batorio suppeditaret, fore enim, ut omnis spes, quam de illius fide concepisset in irritum caderet. Nutantis et ancipitis fidei hominem, depellendum potius, quam in prouinciae imperio confirmandum esse precabatur. Sed haec quae a Bekeso adferebantur, aut dissimulari in praesens, aut negligi a Turca uisa sunt, in

Bekesi ad Turcam legatio.

Stephanum Principem eorum animis potius propendentibus. Et confecto postea bello, profligatoque Bekeso, idem summorum consiliorum praeses Turca, Antalfium ad Stephanum Principem uinctum remiserat, quo facto suam erga illum beneuolentiam testatum uolebat. Turcae Antalfium Batorio mittunt.

His ita utrinque constitutis, Bekes omnibus iam ad bellum comparatis, qua equitum, qua peditum quinque millibus, ad V. Kal. Julias, qui dies Lunae erat, ad Dees salis metallici fodina celebre oppidum constitit, ubi Sami fluuij diuortia, gemina longeque dissita origine, bipartito eodem decurrrentia coëunt. Quo uero magis incolarum gratiam beneficio aliquo sibi demeretur, parcendum oppido ratus, militem conducticium, et iam ad praedam agendam oculis et animis intentum, non in ciuitatem hospitandi causa immisit, sed iuxta ad uicum duobus millibus passuum inde remotum (Kozaruara loco nomen) consedere iussit. Ubi cum in statiuis essent decem praepingues boues, cum magna commeatuum copia Bekeso praesentata sunt, quae a Christophoro Hagymasio missa esse, testandae in eum fidei et beneuolentiae gratia, ferebantur.*) Nam Hagymasius e primoribus proceribus unus, licet in speciem Batorio Principi adhaereret, clandestinis tamen pactionibus Bekeso non nihil suffragari ferebatur. Cui Stephanus Princeps conniuendum in praesentia, silentioque, quicquid id esset

Bekes ad Dees oppidum ducit.

Christophori Hagymasy anceps fides.

*) Ide utalva egy külön lapon a bécsi cod. 127. lapjánál, a co dexbe kötve Szamosközynek következő jegyzete olvasható. Putant ali hoc ab Hagymasio ex ipsius Stephani Principis voluntate factum esse, quo magis Bekes opido Des parceret, que Hagymasij ditione tenebatur, proinde donatiuo maluerint ambo tam Bathorius quam Hagymasy ad tempus illum demulcere et a diripiendo opido auocare, quam intempestiuo odio illum ad praedam prouocare etc.

suspicionis, antiquandum duxit. Crimen declinare magis, quam uindicare plus habuit: ne in uiro tam potenti plus negocij faceret, res ancipiti euentu uulgata, quam bene suppressa. Erat enim Hagymasius, tum alijs opibus permultisque castellis, tum Dees magni prouentus oppido supra modum locuples, amplissimaeque pecuniae dominus. Cum ad Kozaruaram castra haberet, Bekes, de rerum summa, bellique euentu, ut par erat, sollicitus, literas et nuncios quaquauersum ad coniuratos, quae magna pars erat, destinat, monetque ac precibus instat, ut omni damnatâ morâ, iuxta desponsam sibi fidem, accurrere primo quoque tempore uelint. Rem in celeritate esse sitam ut imparatus et fere a suis omnibus destitutus Batorius ex insperato oprimi queat. Nam de certa uictoria ita sibi praecautum prouisumque esse dicebat, ut non esset, quod quicquam dubitari posset: modo consentientibus animis, quo tempus et res uocaret, in tempore descenderent. A Kozaruara, postero die, qui dies Martis erat, ad Nemeti pagum locat castra. Mercurij ad pontem Abae quem uocant duxit; seuera disciplina militibus omni ui omnique praeda interdicta, ut maior fama modestiae et clementiae in principio rerum ad uulgus colligeretur. Proinde uicatim oppidatimque commeatu imperato, non nisi depenso prelio passim in macellis, quodlibet genus annonae emebatur. Eodem die Stephanus quoque Princeps cum praetorianis duntaxat et aulicis cohortibus Alba egressus, proxime urbem ad Apulum amnem, qui Mariso mille ab Alba passibus infunditur, consedit: ut cum Principem in castris iam esse, ac in horas in hostem ducere auditum esset, omnes citius aduolarent. Die Jouis Bekes Tordam

appulit. Id oppidum ad ripas Aurei amnis situm, sex ab Alba milliaribus Vngaricis distat, ab Vngarorum olim duce Torda conditum, ubi Romanae quoque coloniae ingens monumentum conspicitur. Eodem die ad Stephanum Principem apud Albam adhuc haerentem, anxiumque de aduersarij sui propinquitate, affuit e principibus magna cum eius laetitia Christophorus Hagymasius cum CC. equitibus, totidemque peditibus, tum ut suspicionem, quae de ipso per ora multorum percrebuerat tempestiuitate aduentus sui discuteret, tum ut alios ad maturandum iter suo exemplo inuitaret. Eodem tempore Ladislaus quoque Giulafius, uir militaribus uirtutibus praesignis, tum uero Banfij fratres Volfgangus et Christophorus, alijque item e nobilitate cum ducentis similiter equis accurrere. Praeterea ordinarij e Siculorum nobilitate milites qui pedibus tormentisque humeralibus merent, circiter octingenti. Ex oppido Sebes praefecturae Lugasiensis, trecenti equites et ducenti pedites, partim tormentis, quibus ad manum utuntur, partim lanceis ac gladijs securibusque probe instructi. Kalendis Julij, qui dies Veneris nomen ferebat, mille pedites e Saxonicis urbibus, duce Augustino Heluigio Consule Cibiniensi, Stephani copias auxere. Quo tempore Bekes Tordae adhuc ad omnem rei gerendae opportunitatem intentus, auxilia praestolabatur, ancipitibus consilijs circumuentus dubius animi haesitabat; in Stephanum recta sit mouendum, an Siculos uersus ducendum; quorum defectio tantum sibi animi, quantum copijs suis auxilij suppeditatum uidebatur. Nam Siculi gens ad nouandas res arrectis semper auribus intenta inter amnum Marusi et Alutae regionem ad ipsos fluminum fontes citraque habitantes, a Saxo-

Ad Batorium copiae confluunt.

Siculi Transiluani legatum mittunt.

num populo hinc atque hinc clauduntur. Cum autem a primis usque Vngarici Imperij temporibus libertate eximia fruerentur; tandem secundam fortunam imbecillo animo ferentes, Joanne Principe rerum potiente rebellionem ceptauerant. Sed magna clade uicti, omnique priuilegio libertatis spoliati, in rusticorum ac seruorum agrestium ordinem fuerant redacti. His nobiles, quibus sunt addicti, uelut ad hastam emptis mancipijs utuntur, uitaeque ac necis potestatem in eos habent. Iis adhuc spiritibus turgidi, nec de ferocia quicquam remittentes, promissa illis in proemium latae opis a Bekeso libertate, bona ex parte conspiratione facta desciuerant; Petro Andrasi uiro e nobilitate ad audenda quaeque promptissimo, promissis omnibus, quibus poterat, animos eorum implente. Ne uero temere a legitimi Principis fide desciuisse uiderentur, Stephano renunciandum curant, se, ualere iusso Bekeso, auxiliaribus armis illi suppetias uenturos, si modo antiquam libertatem restituere sibi in animum induceret. Quorum postulata, eximia animi magnitudine nihili ducens Stephanus: indignum esse respondit, sub iugum semel iure meritoque subactos, fortunae suae nolle meminisse, Principique legitimo leges praescribere uelle, quibus prius esset seruitutis ratio reddenda, quam libertas postulanda, e qua per admissum maiestatis crimen superioribus temporibus excidissent. Se iniquae eorum postulationi non subscripturum, immo si suis rebus Deus secundior aspirauerit, daturum operam, ut plus mali ex hac perfidia, quam laeticiae sint habituri. Dum ita Bekes Tordae anxius consilij haesitat Stephanus quoque ad Albam adhuc auxilia operiebatur, exiguam omnino manum secum habens; cum iam ipse Bekes non con-

Batorij responsum.

temnendas copias partim ex Vngaria inuectas, partim e factiosis conflatas ductaret. Et sane non exiguum operae precium fuerat Bekes facturus (ut omnium est opinio), si nulla interiecta mora a Torda recta Albam contendisset, Stephanumque a milite, a tormentis, bellicoque apparatu non satis adhuc instructum inuasisset. Sabbatho et sequenti dominico die, uterque ducum ijsdem in statiuis, Tordae alter, alter ad Albam fuerunt, recensendis militibus, apparandisque ijs, quae ad bellum usui erant, occupati. Vbi dum Stephanus iam quatriduum auxilia praestolatur, commodum e nobilitate complures affluxere. Alij uero auersum a Stephani dominatu animum gerentes, Bekesio peridem tempus satellitio quisque suo instructi adhaesere. Quibus ille auctus tantus euaserat, ut Stephano Principi iure formidolosius uideri posset, si modo hic timorem, non animum in bellum adtulisset. 1575. Jul. 4.

Ad IV. Nonas Julias, qui dies Lunae erat, Stephanus motis Alba castris, Tordam uersus iter intendit, Bekeso obuiam processurus, et quid animi habeat cominus exploraturus. Vix octo millia passuum confecerat, cum speculator obuiam ad Toeuis oppidum factus, renunciat, Bekesum quoque Torda eodem die mouisse, sed siue diffisus uiribus, seu alia quacumque de causa, non recta regione iter instituere, uerum ad leuam deflectens, relicta uia Albensi, per citeriorem oram Aurei fluuij, qui Tordam praeterlabitur, Vásárhellum uersus, qua Siculorum sita est regio, direxisse iter. Quod nuncium etiamsi in speciem laetum esse uidebatur, Bekesi desperantis ac ueluti sibi diffidentis diuerticula, pro metu quibusdam interpretantibus: non tamen plus animi Stephano, quam

Stephanus Princeps Alba in Bekesum mouet.

sollicitudinis incussit. Nam licet ille uel in praesentia copijs potior esset Batorio Principe, ex dubia tamen certam uictoriam sibi comparaturus, maioribus supplementis augere uires suas statuerat, eamque ob rem Siculiam uersus duxerat, ut desponsa factiosorum Siculorum manus, coire ad illum aggregarique posset. Jam et e pagis oppidisque, obuios quosque, inuitos etiam et recusantes, qui essent ad arma ferenda idonei, nomina dare, signaque sequi Bekes coëgerat. Nobiles quoque suis stipendijs merere solitos, quicumque cunctatione, uel aliqua mora praepediti, ad Stephanum nondum profecti erant, ui coactos in suorum numerum ingerebat, uel uinctos in proxima castella transmittebat. Eodem die Bekes ad pagum Kuth iuxta Marisum; Stephanus ad Eniedum opidum in campis Tinodinis consedit. Martis die, ille ad Niarad-tw pagum: Stephanus ad Kociardum*). Mercurij, hic ad Hadrew, ubi Aureus amnis mox in Marusium se exoneraturus, uado transitur: ille in hesternis castris constitit. Hoc die ad Stephanum appulerunt Varadino circaque e praesidijs ualida militum manus, numero quadringenti equites, trecenti pedites, militariter ornati armatique: cumque ijsdem trecenti Turcae duce Beko Jeneiensi cui Recieff asciticium nomen erat, natione Illyrico, cognomento Kunuith, quod antequam in impietatem prolapsus esset, gentilicium habuit. Ad eos adducendos praemiserat iam antea Stephanus Princeps Mathaeum Magnum e Zent falu idest Sancto

*) Ehez egy külön lapon (a bécsi codexbe kötve) Szamosközy e jegyzete áll: Vbi totus exercitus Stephani nocte intempesta derepente nulla certa de causa, tam Panico terrore trepidatioueque confusus est, uttantum non uniuersi in fugam sparsi fuerint nisi Principis et ducum cohortatione tumultus terrorque sedatus fuisset. — E lapocska rosz helyen van bekötve (a 148. laphoz), mert a 131-dikhez tartozik.

pago oriundum, et Franciscum Nemes e nobilitate uirum primarium, quibus frequentibus nuncijs sollicitatis, et in finitima penetratis, obuiam missus est Dionysius Ciakius, illustris generis iuuenis, et Stephano Principi e sorore nepos, qui Turcas per uiarum compendia ductaret, et ne quid insolentiae patrarent, sollicite prouideret*). Missi et a Transalpino Vayuoda, Valachorum auxiliaria manus, fere ducenti, quibus obuiam procedere iussus est Stephanus Tompa, uir obscuro quidem genere natus, sed fortunae magis quam uirtutis beneficio in ordinem nobilium insertus; et rem solertia ita promouerat, ut e primoribus unus haberetur. Acer in rebus gerendis et industrius, sed crudelitate in subditos agrestes famosus. Jul. 7. 1575. Nonis Julij qui dies Jouis erat, ad uicum Datos citra traiectum Marusi Stephanus castra locauit. Bekes ibidem loci, ubi hesternis castris Siculorum aduentum exspectauit; quorum hic primum fere ad bis mille, primipilarij, regiaeque militiae adscripti, ideoque ab oneribus publicis immunes, et in usum militiae tantum sepositi affuerunt. His adiuncti fuerunt e mediastinis quoque rusticis plurimi, quos Petrus Andrasius ingentium proemiorum et libertatis recuperandae spe arma capere iusserat, et in partes traxerat. Sed ita pannosi et inermes, ut plerique eorum, iligneos

*) Ide tartozik Szamosközy következő jegyzete egy külön lapon: Jam et in regione Varadiensi, cui tunc Christophorus Batorius, Stephani Principis frater germanus maior natu praeerat, Mamhud Bek, parens Bassae Bektasij, qui hac tempestate Sigismundo Principi in Transyluaniam reducti suppetias uenit, magnumque et celebre nomen obtinet, à Christophoro proprincipe accersitus fuerat, quadringentosque Turcas equites ducebat eo omnino consilio ut si Stephanus Princeps, male gesta re e Transylvania forte eijceretur, Christophorus ipse Turcarum auxilijs bellum redintegraret, nec vnius tantum praelij discrimine Transyluaniam subito e manibus abijceret. — E jegyzet ugyanazon lapocska tuloldalán áll, a melyen a föntebbi jegyzet olvasható.

stipites pro gladio, perticas fumosas pro lanceis, crassas amphitapas pro thoracibus, caballos pro equis, trepidationem pro audacia, fugitiuam pugnam pro stataria, numerum pro uirtute, pedes pro manibus in bellum attulisse uiderentur. Eodem pariter die, ex alijs Siculorum tractibus (quos sedes uocant) quibus fides et existimatio potior uisa est, quam gratia et immensa promissa hostis, ad Stephanum Principem uenere fere octingenti; et hi quidem libertini et primipilarij, qui equites uulgo dicuntur. Nam reliquam agrestium manum, numerosum ac rude agmen, et nomina uerius quam auxilia, ipse Princeps consulto uetuerat ad signa contrahi, uiribus se non numero uictoriam parare uelle dicens. Ad VIII. Idus Julias, qui dies Veneris nomen ferebat, citeriores ripas aduersi Marisi praeter legens Batorius, recta a a Datos ad Bekesum ducere coepit, eo omnino consilio ut si ad Niarad-tw, iam triduo in statiuis haerentem illum inueniret, ex aduerso contra eum consideret. Vix enim iam amplius quam semi diei itinere ab castris castra distabant. Sed Bekes ueluti Stephani consiliorum conscius, ut maiorem suis fiduciam obuiam ueniendo compararet, quam tergiuersando et diuerticula sectando diminuturus erat: eodem die profunda statim aurora recta Stephano obuiam uenire perrexit. Conspecta utrimque ex aduerso acies ad Radnotum, Francisci et Gabrielis Kendiorum fratrum castellum, quorum Gabriel ad Bekesum defecerat, alter in Stephani fide perstiterat: et hic quidem in huius, ille in illius castris militabat.

1875 jul. 8.

Batoriorum cum Bekesinis Velitatio.

Hîc quia Marisus medius inter utrumque exercitum interfluebat, qui rarenter, nec nisi cum ingens siccitas fontes riuosque exhausit, uado transitur; signa

conferendi congrediendique potestas nulla data est. E Batorianis nihilominus complures non sine discrimine partim nando, partim uado inuento traijcientes, lacessere hostem coeperunt, inter quos Moyses Zekel in summos postea militiae gradus uirtute sua prouectus, magnam fortitudinis laudem promeruit, dum in confertos se ingerens caesis nonnullis, superato flumine, saluus et incolumis ad suos reuertit. Et Bekesini quidem lentitudinem animi pro audacia usurpantes, ne leui quidem praelio uelitantibus responderunt nec illatam a Moyse iniuriam repulerunt. Qua propter loci comoditatem secutus Batorius, complures pilas ab explosis tormentis emicantes, in hostes uibrare coepit, ut eos aut loco depellere, aut saltem quantocumque detrimento afficere posset. Sed nihil actum, quod magnopere in rem conduceret. Qua propter relictis in praesentia illis, reductoque paulum exercitu, ad Datos iterum consedit, uti tutissimus et ad statiua habenda, et commodissimus ad traijciendum exercitum locus erat. Dum hoc modo Stephanus Princeps interfluum Marisum superare contendit, Bekesini interim ad Radnotum desidentes, quid Stephanus ageret, curare negligebant. Abest Radnotum a Datos fere ter mille passus, quod spacium dimidij Vngarici milliaris est. Tantum castra a castris aberant, cum Stephanus Princeps, Sabbatho, partim uado, sicubi patiens amnis erat, partim pontonibus et conquisitis undique lintribus exercitum Marisum traiecit. Ne uero Bekesini animaduerterent, dum exercitus grauis impedimentis, laborioso tardoque molimine transuectatur: Batorius transmissis e ferentario ordine leuis armaturae aliquot cohortibus, hostium castris eos obequitare, lacessere, tumultum

Batorius Marusium traijcit.

ac pugnam ciere iussit. Haud enim cuiquam in dubio erat, quin magnam cladem Batoriani in traiectu accepturi fuissent, si Bekesini ad rem attentiores, reiecta mora, diuisas fluuii interiectu Stephani copias, minusque ad pugnam paratas repentino impetu agressuri fuissent. Hoc modo negligentia rem corrumpentes, dum nullo satis digno morae praecio tempus ad Radnotum terunt, magnam rei gerendae opportunitatem e manibus elabi passi sunt. Enimuero sapientis ducis est, scire uti praesentibus opportunitatibus, cum in omnibus actionibus occasio plus adferat ad rem perficiendam momenti, quam quidlibet aliud. Occasio momentanea, sicuti saluti est rebus maximis nonnunquam, ita saepe exitio est, nisi prudenter et solerter prouideatur. Non omnia in fortunae arbitrio sita sunt, in multis rebus ipsi magnorum malorum causa sumus. Ergo Bekesini dum ad Radnotum, opportunitatem hostem aut turbandi, aut in magnum discrimen deducendi negligunt, non prius traiecisse Stephanum animaduerterunt, quam e regione metantem castra conspexissent.

Stephani Principis militaris industriá.

Jam uero ille facta transuectione, instructis agminibus, quam fieri potuit in tempore, suo quaeque loco, suo ordine locauerat: dispositorum in conflictum tormentorum latera, spissis peditum equitumque cohortibus alternauerat: currus ad extrema castrorum aliaque munimenta disposuerat: cornua utrinque ualidissimis et constantibus propugnatoribus stipauerat: impedimenta post principia remouerat. Tormentarij negocij magister erat Raphaël Cinna Florentinus, uir in sua arte doctus et industrius, qui in bello quoque Moschouitico fidelem postea nauauit operam, eidem Stephano postmodum regi Poloniae. Huius fidei et so-

lertiae etiamsi nihil derogabat Stephanus, tormentis tamen non animum tantum et oculos, sed et manus quandoque admouebat: locabat, ad ictum dirigebat, disponebat, ubi, quando quo ordine essent elicienda, ipse demonstrabat: ac plane Imperatoris militisque officia ex aequo obibat. Hoc modo motis lento gradu castris, in conspectum hostium aciem direxit, potestatemque pugnae in aperto campo fecit. Verum illi uiso Stephani exercitu militari apparatu obfirmato: non ausi cominus signa cum eo conferre, pugnamque conserere: ac ne exspectato quidem ullo tormentorum tonitru, referre pedem, totoque agmine, seruatis tamen, ut licuit ordinibus, retro dissipatis similes concesserunt. Quod quidem illi de industria uisi sunt facere: siue ut Batorianos ad iniqua certamini loca pertractos insidijs obnoxios facerent; siu ut edum illi horum fugientium terga auidi praedae pariter ac pugnae insequuntur, a tormentis peditumque armatis cohortibus abstrahant, a seque mutuo Batorianos diuellant, moxque conuersis signis palatos eos passimque dissipatos opprimant. Sed cum uiros natura callidos, rerum praesentium discrimina mirum in modum faciant ingeniosos: Stephanus quoque non minus animo, quam rei militaris scientia instructus, cognito illorum consilio, minime se circumscribi ea fallacia passus est. Quapropter negocium dedit ducibus, suis quemque locis continerent, nihil ex dispositione turbarent, lento gradu procederent, ad necessitatem, quam occasio imponeret, seduli aduigilarent. Hunc modum cum nec illi retrocedendi, ne Batoriani instructis ordinibus insequendi ullum modum facerent, declinante iam in uesperam sole, in sequentem diem, summam pugnae differre libuit. Ne tamen nihil

Batory prudentia.

interim agi uideretur, tormentis explosis eminus illorum castra lacessita sunt, sed omnino impune. Cohortes quoque aliquot emissae sunt, quae illos ad pugnam elicerent, sed leuibus commissis praelijs, ex aequo discessum est: datumque id necessitati magis, quam uoluntati. Salebrosis enim locis impeditisque inclusi, aequiore commoditate certamen definiri uolebant.

1585. jul. 10. Ergo ad VI. Idus Julias, qui dies dominicus erat, Stephanus Princeps in eos mouens, contra illi quoque occurrere. Quia uero ea loca fossis inconditisque cliuis inaequalia erant; nec tormenta, a quibus ne pedem quidem dimoueri consilium erat; nec ordines, ita ut dispositi erant, aequali progressu prouehi poterant, uisum est Batorio isthic loci opperiri eos, praelioque confligere. Sed cum uideret illos plus a cunctatione quam audacia paratos esse, nec uires ex propinquo conferre uelle; tormentis maioribus impedimentisque, cum lixis et calonibus, aliaque exercitus uiliore parte relictis, recta in eos consentientibus

Bekesini retro cedunt. omnium animis duxit. Bekesini trepidosiores quam animosiores, non ab armatis manibus, sed ab inermibus pedibus auxilium petere coeperunt. Quapropter subornatis a tergo nonnullis, qui insequentium impetus retardarent, prope ad nouem passuum millia, quod spacium vngarici milliaris et semis est, pedetentim gradiendo retrocesserunt, donec tandem ad Sanctum Paulum oppidum iuxta Marusium, Francisci Alárdi castellum, lacunoso palustribusque impedimentis oportuno loco, contra constiterunt. Vbi quoque ita aduersis hostibus se opposuerunt, ut necessitatem magis in consilium cogitationum suarum, quam liberam uoluntatem adhibuisse uiderentur. Nec enim iam vlterius progrediendi facultas aderat, Mariso

obstante, nisi in ultimas Siculiae oras fugam explicare uellent. Erat ad Sanctum Paulum, septum Marisi undis transpositum, quo impetus amnis coarctatus ad molas frumentarias uiolentiore cataracta prorueret, rotasque impelleret. Eo traiectu effugium sibi quaerere constituerant Bekesini, siquid humanitus accideret, speque uictoriae exciderent.

Batorius cum Bekesio confligit.

Praemissis ergo utrinque ualidis cohortibus, qui pugnam auspicarentur, hi quidem acriter incitatis equis, infestis hastis conflixerunt. Solet enim Vngaricus equitatus magna ex parte hastis lanceisque prolongis armari, quibus in conturbandis, primoque impetu impellendis hostium ordinibus disijciendisque aciebus utuntur. Et quia hastae ex abiegninis pineisque perticis, quandoque octonum denum pedum oblongis fabricantur, primis saltem insultibus ob lentorem diffriguntur; proinde ad manum confestim uenitur, cominusque gladijs et securibus, idque genus armis pugnatur. Horum pugna cum ad multam caedem et sanguinem processisset, in tempore Batorius peditatum praetorianum, qui a uestium habitu coeruleati dicuntur, et omnibus rebus, quibus hoc militum genus commendari solet, alios peditatus longe praecellunt, hostium confertis agminibus admouit. Sed Bekesini uincente uerecundiam metu, pedites pariter atque equites terga protinus praecipites dederunt. Et hoc quidem fuit caeruleatorum uirtute partum uictoriae principium. Restabat ualidior phalanx ad latus totius exercitus, in qua Bekes cum factiosis paene omnibus consistebat. In eos ubi Batorius mouit, protinus hi quoque nullo edito uirtutis specimine, passim qua cuique promtum, in fugam effusi sunt, rectaque ad septa, quae diximus, iter intenderunt. Augebat stragem locus udis et caricosis impedimen-

tis difficilis, ubi dum confertim alij in alios ruunt, sine uulnere, sineque hostium armis, limo obruti proterebantur. Altera exercitus pars, tanta omnium clade uisa, inter se cohortati, quater orbe facto, conuersisque signis, infesti in Batorianos occurrerunt, sed toties repulsi, omnes tandem simul effusis cursibus ad Marisum praecipites ruerunt. Quibus promptum expeditumque erat, septo transmisso, quo tutius euaderent, se in globum colligentes per uias inuiaque cursum intenderunt. Alij, quae magna pars fuit, Marisi gurgitibus infusi periere : pauci quibus clementior fuit fortuna, nando traiecere, ne sic quidem salutis compotes facti. Nam cum adulta paene in meridiem die, hora decima, sit debellatum, ad serum usque diei, a uictoribus palantes illi fugientesque, capti, caesi, trucidatique sunt. Turcae, magna captiuorum manubiarumque copia parta, non multo post eo, unde exciti fuerant, redierunt.

Bekesiani caeduntur.

Clades facta 1575 10 Julij.

Profligati Bekesini, cum singillatim, manipulatim, turmatim, ut quemque belli fortuna dissipauerat, iter Vngariam uersus raperent; Claudiopolitani audita clade, ut sibi non tam famam ex deuictis quam praedam compararent, obuiam fugientibus ire statuerunt. Armatur itaque iuuentus e plebe promiscua et opificio, miles antequam tyro, et numerus magis quam robur. Maiore spe et fiducia quam uiribus exitur. Forte nacti cohortem fugientium, qui se in globum salutis tutandae causa colligerant, manus cum ijs conserunt; existimantes, animos, quos ante gesserant, una cum infelici proelio eos abiecisse. Sed ubi illi necessitatem denuo pugnandi uiderunt, tantus illis ob desperatam salutem animus accessit, ut facta in Claudiopolitanos impressione, quos fugiebant,

Claudiopolitani fama nu frustra fugientes lacessunt.

fugauerint; caesisque ex ijs nonnullis, quia insequendi facultas non erat, ad sua opificia et officinas redire compulerint.

Interea coniuratis foede a Stephano Principe profligatis, cum nulla iam in uirtute spes superesset, fugam pro praesidio usurpauere. Et Bekes quidem famosae cladi superstes, cum primoribus, qui se illi per factionem adiunxerant, trepida admodum fuga, Batorianis ubique in uestigio palatos insequentibus, in arcem Betlem ad Samum fluuium situm delatus est, quo magna coniunctorum pars, omnem rerum preciosarum supellectilem, tamquam in tutum munitumque locum congesserant, ignari, si fortuna belli, spem eorum frustrata fuerit, omne depositum in Stephani potestatem redactum iri. Et Bekes ipse filium Gabrielem, uixdum infantiae annos eggressum, quem iam antea Batorius Princeps Joanni Harinnaio eius auunculo educandum permiserat, in Betlem arcem deducendum curauerat. Huc ubi cum factiosis peruenisset, assumpto secum puero, conuasatisque raptim ab uno quoque quae pro temporis angustia, uictori hosti, et iam-iam in uestigijs haerenti, subtrahi poterant, uix dimidiam horam a fuga respirantes, illucescente iam in diem aurora, continuata fuga, per uiarum montiumque errores, Zatmarum euasit; detestatus et ipse secum infelicem pugnam, et culpam male gestae rei in milites ducesque reijcens, quos cum partim uoluntarie merentes, partim precario conductos, et in bellum raptos, magis quam authoratos, haberet, contumaces dictoque minus audientes nactus fuisset, ob insitam animis ferociam, et prauam praefectorum indulgentiam, imperata ducum iussaque contemnentes. Stephanus Princeps per uestigia fugientis insecu-

Betlem arx recuparatur.

Bekes cum potioribus coniuratis in Vngariam euadit.

tus, ubi Betlem peruenit, elapsa inde in tutum custodia, nemine obstante in potestatem arcem redegit, quae Georgij Patocij et Pauli Ciakij eius affinis imperio tenebatur. Opes quos isthic factiosi deposuerant, partim in Principis fiscum redactae, partim in militum rapinam dissipatae sunt. Hic exitus fuit susceptae expedetionis Bekesi, qui ubi Zatmarum e tanta suorum clade appulit, mox ob rem infeliciter gestam, quasi uictoria in sua manu fuisset sita, caepit apertis omnium tacitisque conuicijs proscindi, desertor suorum, impostor, profugus, erro, militum paricida, proditor criminari. Alij filiorum interitum, alij fratres, parentes, maritos, consanguineos, alij amicorum, militumque suorum cladem deplorabant: et quoscumque infelicis belli aliqua portio attigerat, culpam ei uni imputabant, eum reum omnis acceptae calamitatis agebant. Adeoque omnium inuidia flagrabat, ut non modo fortunarum, a quibus exciderat, sed etiam praesenti uitae discrimine uersaretur. Harum criminationum execrationumque flammae, ut se aliquantisper subtraheret, Cassouiam concessit, diuque hospes isthic latuit; Joanne quoque Rubero, qui ei circa regioni pro Rege praesidebat, (ut saepe fauor hominum cum fortuna mutatur) ob acceptam cladem illi infenso.

Bekesianarum partium proceres.

Euaserunt e primoribus nobilibus qui se Bekeso per factionem adiunxerant, nonnulli; in his Paulus Ciakius, e uetusta et magna Ciakiorum familia ortus, qui a Körösszeg oppido cognomen trahunt. Horum genus hac nostra tempestate, triplici propagine distinctum, in totidem cognationes secessit. In prima eminentiore Stephanus hodie claret, Ladislai filius, Demetrij nepos. In altera Georgius, Nicolai filius, Gabrielis nepos, Vngarorum hoc temporis doc-

tissimus, et parem splendori domestico indolem ferens. Qui nisi in his patriae turbis, inuidia eorum, a quibus minime conueniebat laborasset, uirtusque tanti, quanti debet aestimata fuisset: *non erat equidem, cur nostris temporibus, praeclaris ingenijs debitum publicum honorem, Cancellarijque munus, partim transfugae, partim alienigenae, ad inconsultam Principum libidinem, in magnum regni detrimentum decoquerent.**) In tertia Ciakiorum stirpe hic Paulus superfuit, Stephani filius, Michaelis nepos, Francisci clarissimi Mathia rege ducis, pronepos. Hic Paulus Bekesina clade solum uertens, paucis post annis in Vngaria, in Francisco filio, diuinae paene indolis puero, defecit. Erat Paulus Ciakius, rei familiaris copijs, amploque dominio locuples, qui parsimonia et labore quaerendi inuidiosam pecuniam congessisse ferebatur. Nec exiguam partem a parentibus acceptam trahebat. Has postea diuitias, tum sua industria, tum connubialibus uxorum dotibus multum auxerat. Causam a Principe Stephano deficiendi, eam inter alias praetendebat, quod cum ad Hadadum, decennio ante Joannis Principis exercitus, memorabili clade a Maximilianis uictus fugatusque esset, ipse Paulus cum multis alijs in eo proelio captus, non prius libertati restitutus est, quam iurasset, se numquam aduersus Maximilianum arma resumpturum. Et cum Stephanus quoque Princeps, in idem cum Maximiliano Caesare, foedus, superioribus annis incessisse uideretur, se aequitati consentaneum duxisse, si patriae bonorumque discrimen potius subiret, quam fidei iac-

*) A dült betükkel szedettek egy olvashatlan törlés fölé vannak irva a bécsi codexben (139. lap).

turam faceret, cuius constantiam solenni iuramento firmasset. Deinde cum Batorius in arce olim Varadiensi, circaque prouincia pro Principe praeesset, latum feracemque agrum, qui Ciakiae familiae proprium peculiumque ab antiquo fuisset, ad Bihariense territorium per uim abstraxisse illum, Varadinensique imperio subjecisse Paulus querebatur. Huius patrimonij iacturam, cum graui querela ad Principem Joannem, ordinesque regni retulisset, restitutionemque flagitasset, nihil se efficere potuisse, ob potentiam et inclinatum omnium in Batorium fauorem procerum. Proinde quod legibus non poterat, armis, si posset, recuperare statuerat. Alijque alias pro se quisque suae defectionis causas, (si modo aliqua iusta in re tam atroci esse potest) adferebant, quibus admissum perduellionis crimen ab se remouerent, aut saltem eleuarent, quas omnes enumerare non duximus operae precium esse.

Effugit et Michael Thelegdi, nonnulla affinitate Stephano Principi coniunctus, qui postea exul, duo castella Sanctum Nicolaum et Zeten in Vngaria Sarmaticis montibus propinqua, ab Imperatore grandi pecunia mercatus est, amissorumque in Transiluania bonorum desiderium illis utcumque lenijt, filijsque haereditarium patrimonium reliquit. Papmezoe arcem (sacerdotalem agrum id nominis significat) supra Varadinum, a fundamentis erexerat, amplisque facultatibus praediues, omnes eas uelut e sinu proiectas, uictori reliquit. Euasit et Gabriel Bekes, Casparis frater, et Nicolaus Harinnaius, Volfgangi soceris Bekesi filius; quem affinitatis quoddam ius, in partes inuitarat magis quam traxerat: Ladislaus item Caroli, in Vngariae, unde erat oriundus, et

Transiluaniae partibus, luculenta substantia locupples, qui iacturam Transiluanicorum bonorum, eo magis aequo animo tulit, quod hinc profugus, in auitum patrimonium, quod illi aduersa fortuna in Vngaria reliquum fecerat, uelut in tutum asylum se recepit, ubi aegrum accepto detrimento animum eius partis possessione nonnihil leuauit. Praeter hos in tutum se receperunt duo Kendij fratres, Gabriel et Volfgangus, quorum ille postea in gratiam reconciliatus, postliminio in Transiluaniam receptus est, partemque nonnullam bonorum Francisci fratris opera, recuperauit. Ne tamen illi perpetua felicitas esset, inconstantia fortunae effecit. Nam quo tunc supplicio meritum eripuerat, postmodum Sigismundo Principe, ob admissum, ut putatum est, perduellionis crimen immeritum affecit. Euasit et Ladislaus e Radacorum amplissima familia natus, cum filio Emerico. Joannes item Veres, cui a Farnos oppido cognomen erat. Et Paulus Hallabori, cum Andrea cegnomento Miske. Petrus quoque Andrasi Siculorum concitator, qui postea in Vngaria, nonnulla bona ab Imperatore impetrauit, quibus et exilij acerbitas leniretur, et amissarum facultatum iactura utcumque resarciretur. Aliosque nonnullos e minorum gentium nobilitate belli clades effugio seruauit, in tutioraque dimisit; quorum bona omnia, uxoribus filijsque adempta, publicata proscriptaque sunt: tanta seueritate, ut ius omne et facultas postliminio ea recipiendi, damnatosque in statum pristinum restituendi, nisi ex peculiari Principis benignitate, sublatum aeternum fuerit.

Quos uero belli fortuna acerbius plectendos statuerat, capti sunt e potioribus in proelio, hi potissimum: Joannes Kendi, Francisci filius; cuius amplis- In proelio Bekesino capti.

simum patrimonium cum Isabella Regina, propter admissum, ut illa uideri uoluit, maiestatis crimen, proscripsisset, ab Joanneque haerede abalienasset; ille per summam iniuriam iniquissime indictaque causa ereptum fuisse quiritabatur. Cum autem nec legum praesidio, nec patrocinio fauoreque potentum recuperare illud posset, ad Bekesum confugit, qui de eius restitutione ubi fidem dedisset, illius uicissim sibi adstrinxit. Hoc utriusque consilium cum optime constitutum uideri posset, tamen optime perfici non potuit, fortuna eorum cogitatis minime felici cuentu respondente. Captus est et Joannes Harinnai, ipsius Bekesi sororius, et Georgius Patocius insignis adolescens, cuius sororem Annam Paulus Ciakius uxorem duxerat, affinitatisque initae illectamento incautum in suas partes traxerat. Huic postea ex Stephani Principis indulgentia omnium criminum gratia facta est, exiguaque bonorum pars reddita, unde nobili adolescenti, si non ad maiorum suorum dignitatem tuendam, ad praesentis tamen fortunae acerbitatem ferendam, tolerabilis uitae sustentandae facultas suppeteret. Nec tamen diuturna illi uita superfluit. Paucis enim post annis in ipso iuuentutis flore diem suum obijt, clarissimamque Patociorum stirpem uirilis sexus, hic postremus suo funere clausit. Capti sunt duo quoque Pokay fratres germani, Joannes et Petrus, quorum parens defuncturus, testamento Bekesum orbis designauerat tutorem, ac illum alumni tamquam parentem obseruabant, quae pietas cum impietate coniuncta, exitio illis fuit, capitis enim damnati, parum abfuit, quin uterque perirent. Nam cum ad miserae matris lacrymas et obsecrationes Stephanus Princeps

potestatem fecisset, alterum e duobus utrum uellet, supplicio eripiendi: illa quia uterque eodem sibi loco, eodemque amoris affectu erat optionem cognatis et amicis reliquit, ne uideretur ipsa carnificis manibus alterum subijcere. Itaque Joannes natu maior capite plexus, Petro fratri salutem peperit. Nec pepercit belli fortuna Francisco quoque Ladislai filio, e Kemeniorum nobilitate oriundo, quorum celebris familia, uel hoc solo facinore, digna laude memoriaque est, quod olim Simon ex hac eadem stirpe prognatus, uir fortissimus Joannem Huniadem in pugna ancipiti cum Mezeto Bassa commissa ab interitu uindicauit, dum commutatis cum Huniade pannis, in cuius exitium Turcae conspirauerant, suppositus Simon praesentaneam eius mortem de industria in se transtulit. Joannes Kemény Francisci frater, effugio salutem sibi quaesiuit. Captus fuit et Joannes Cianadius cognomento Diacus, quod nomen recepto iam pridem more, ijs tribui solet, qui litterarum saltem uernacularum non omnino expertes habentur. Alijque item e nobilitate non pauci, in quibus hi praecipui: Casparus Bogati, Nicolaus Barciai, Volfgangus Cabos; Melchior Horuathus; duo Nicolai, quorum alteri Olciardio, alteri Öesio nomen erat. Nicolaus quoque Ciani, capite poenas luit. Franciscus e nobili et uetusta Alardorum familia ortus, quem tunc ipso feruore iuuentae calentem, factiosi in suas partes traxerant, simul cum alijs euasit, cui postmodum, cum aliquamdiu in Vngaria exul latuisset, Casparis Magotij unius e proceribus Vngaricis sedula apud Stephanum iam Regem Poloniae intercessione, gratia et uenia data est. Sanpaulumque oppidum postliminio illi restitutum est, reliqua bonorum parte, partim

belli calamitate, partim Principis poscriptione publicationeque interuersa.

Stephanus Princeps de factiosis actionem instituit.

Pulso in hunc modum e Transiluania Bekeso, Stephanus Princeps perturbatum intestinis factionibus regni statum emendaturus, et de captis coniuratis supplicium sumturus, Claudiopolim libera comitia indixit, et ne quid cuiquam fraudi esse posset, pollicitus est se coniuratorum causam, siue eorum qui manifesta arma in patriam intulissent, siue qui consilio, opera, tacitis occultisque molitionibus cum illis conspirassent, iudicio persecuturum, iureque experturum. Qua quidem in re quidquid ordines regni pro sua aequitate pronunciarent, eo se staturum, nec commissurum, ut quisquam se iniuria damnatum, bonis exutum, poenaque affectum conqueri possit. Ergo ad VIII. Kal. Augusti, statim a confecto bello, calentibus ex recenti iracundia procerum animis, quos ea belli tempestas affecerat, ubi frequentes Claudiopolim conuenissent, *Stephanus Princeps**) frequenti senatu in hunc modum uerba fecit.

1575. jul. 5.

Batorij Principis in coniuratos oratio in Senatu.

Scio ego uiri praestantissimi, nullum genus supplicij inuidiosius esse, quam quod familiaribus et necessitudine quacumque coniunctis infertur. Quis enim non execretur patrem familias, qui in filium uel fratrem, aut quemlibet e domesticis capitalem poenam irroget? Nam etiamsi hi et tales commeritis quandoque poenis afficiantur, nihilominus tamen ubi ea res in hominum aures incidit, tacitis indignationibus conuicijsque auctor irrogati supplicij incessitur. Nec tam causa perpenditur, quam commiseratio

*) A dűlt betükkel szedett két szó ki van a bécsi codexben törölve s helyébe oldalt irva: Ladislaus Sombori Stephani Principis ac fiscariarum caussarum aduocatus, quem directorem caussarum uocant.

eius, qui patitur, animos hominum afficit. Sed enimuero, qui ita affectus est, is uicissim consideret, quam nullo supplicio expiabile scelus sit, arma aduersus patriam inferre, in qua ille educatus, altus, nutritus, protectus sit, et cui secundum Deum immortalem, uitam adeoque animam debeat. Quapropter non arbitramur, uos quoque iudices integerrimi, tam leni mollique ingenio esse, qui ob tam atrocem iniuriam, quam non unus aut alter nostrum, sed tota adeo respublica nostra per hos nefarios passa est, non iniustam uindictam assurgatis, et quod hi per summam exsecrandamque impietatem, arma in patriae Principisque internecionem intulerunt, uos iure et legibus uindicaueritis. Quis enim si patiantur hostilia, cum fecerint, indignari iure potest? Quid tutum in rebus humanis, quid tranquillum esse poterit, si ad omnia scelera indulgentia conniuebimus? quae non fanda nefandaque patrabuntur, si audaciam sceleratorum, (quae magna ubique turba est) ad terrorem documentumque aliorum, commeritis supplicijs non coërcebimus. Quod pater in familia, idem Princeps est in republica. Quis ferre posset, si impius filius arma contra parentem uitae suae auctorem caperet, ferroque salutem eius peteret, cuius ne sepultura quidem sine grauissimo scelere uiolanda fuerat? Nonne ergo germanae iustitiae solidam et expressam imaginem imitabimur, uniuersae omnium saluti consulemus, si ab his importunissimis latronibus eas poenas expetemus, quas diuini humanique iuris aequitas postulat? Pacem a Turca hoste impetrauimus, ne ea nobis perpetua esset, ab his crudelioribus interpellata est. Quam illi tranquilitatem patriae per amicitiam indulserant, isti per summam inimicitiam euerterunt.

Illi ex hostibus per summam gratiam amici, hi ex amicis intestini hostes per summum scelus facti sunt. Quoties cum alij diui Principes, praedecessores nostri, tum Joannes insidijs petitus a suis sit, per uenena, per percussores, per rebelliones, per clandestinas cum hostibus pactiones, per friuola promissa, per tot fraudes, nemo est uestrum qui ignoret. Diuina prouidentia saluum illum, quamdiu uoluit, seruauit. Nefarios eiusmodi conatus, ne in exitium tandem patriae redundent, quis est tam lenis, tam iniuriae patiens, qui non graui animaduersione castigandum censeat? Quamquam autem in meam potissimum perniciem, isti latronum ductores, uniuersam illam colluuiem armauerint, magis tamen reipublicae interest, quam mea, si in hos animaduersum fuerit. Mea quippe salus, unius solius est, et quidem ea nunc ex Dei benignitate, incolumis: ad rempublicam pertinet, ne quid posthac tale attentetur, unde illa longe grauiore, quam nunc pernicie afficiatur. Et sane ego, senatus amplissime, numquam solitus fueram, (uos estis optimi testes) per hominum carnificinam, uitae meae securitatem parare. Malui semper ferre, quam inferre iniuriam. Qua de re ne nunc quoque actionem instituendam curarem, nisi me, ratio reipublicae nostrae tot undique hostibus obsessae, a uetere mea consuetudine discedere cogeret; atrocesque isti inimici, imo hostes, adeoque parricidae, lenitatem meam et patientiam in iustam uindictam accuissent. Acerbum est ab iuratis hostibus circumueniri, sed acerbius longe a subditis, a familiaribus, a domesticis in insidias uocari; quorum infidelitas eo grauius punienda est, quo fides, qua nihil in homine maius esse debet, scelerate per pro-

ditionem conuellitur. Recte uetustas statuit, acrioribus supplicijs ciuem perniciosum quam acerbissimum hostem coërcendum esse. Quod cum ita sit, patres conscripti, uestrum erit, horum quoque coniunctorum scelere ad normam aequi et recti expenso, totam controuersiam, diiudicare, cognoscere, discernere, executionem nostro arbitrio committere.

Quibus ita a Stephano Principe peroratis, Senatus reis pariter atque actoribus datus est. Et reos quidem qui in uinculis habebantur, sordidatos ac omni squaloris habitu ad misericordiam mouendam compositos ante ora iudicum consistunt, ut siquid pro purgatione sui haberent, adferrent. Qui cum eleuandi criminis gratia, multa in medium attulissent: illud prae alijs uti ualidum firmamentum, ad amoliendam differendamque sententiae capitalis prolationem afferebant: minime aequum uideri, hoc iudicium arbitrio uictorum exerceri, eosdemque haberi in causa tam capitali iudices, qui ijdem essent et actores. Praeposteram iuris agnoscendi formam esse, iam ante praeiudicijs aduersariorum iugulatam causam, ab ijsdem, odio et iracundia ex acceptâ iniuria adhuc inflammatis, in speciem duntaxat iudicari, quae iam pridem ab animis in uindictam exasperatis, confossa esset. Quocirca ex Vngaria aut Polonia allegandos esse iudices, qui remotis praeiudicijs, omnique odio et inuidia seposita, de crimine, si quod esset cognoscerent. Certum locum, certam legem, certum tribunal, certos iudices requiri, ut iusta iudicij et aequabilis administratio esset. Sed cum uictis omnia iura infesta sint, haec tergiuersatio, quae ad cauillandum, distrahendum, ampliandumque iudicium facere uidebatur, communi iudicum sententia antiquata est: negan-

Coniuratis purgandi sui potestas data.

tium alienam iurisdictionem quicquam loci hic possidere. Aestimationem arbitriumque quarumlibet causarum, penes XII. uirûm senatum esse; nec uideri aequum, auctoritatem huius ordinis, per exterorum suffragia imminui. Quae cum ita constituta essent totum ferendae sententiae arbitrium, ad XII. uiros, qui caput publici consilij habentur, ordinesque regni relatum est, ut ij de reis statuendi ius haberent utique eorum suffragijs stari opporteret. Hoc modo causa cum varijs utro citroque disceptationibus agitata esset, ac tandem sententiae rogatae essent, nullius uariante suffragio, pronunciatum est, reos, de quorum crimine uel se ipsis testibus nihil ambigebatur, perduellionis teneri, capitisque ac bonorum omnium facultatumque amissione in perpetuum damnari. An uero auita patrimonia, uxorumque ac filiorum bona eidem proscriptioni subiaceant, non ab re diu quaesitum, disputatumque est. Iniquum enim uideri poterat, legitimarum haereditatum possessione aliena culpa quemquam priuari, parentumque et maritorum crimen in filios uxoresque deriuari. Quod non tantum a legibus humanis, sed maxime a diuinis alienum erat: quae iubet unum quemque pro suo scelere plecti, nec a filijs ob parentum reatum poenas expeti. Sed quidquid contra disputaretur, sententia tenuit: bona omnia damnatorum absentium iuxta atque interfectorum solida, praeterquam dotalitia uxorum, et quae filij emancipati ante reatum parentum creuissent, fisco inferri publicarique nec unquam ad haeredes ullo postliminio reuerti. Qui quidem iuris rigor ex decretalibus quibusdam punctis legum Vngaricarum constitutionum ab antiquo promanare ferebatur, quas Stephanus Verbetius iureconsultus, patrum

Factuosi perduellionis damnuntur.

Bona eorum proscribuntur.

nostrorum memoria, ex diuersis Regum priorum, senatus, procerumque consultis in certos Pandectas conuasauit. Tripartitum eos uocant, quod in tria uolumina sint digesta, quibus, abdicatis ex usu Caesareis legibus, Vngariae et Transiluaniae regna utuntur. His in hunc modum constitutis, nouem e potioribus, ad Gemonios gradus Claudiopoli ducti, capite plexi sunt, nequicquam amicorum cognatorumque precibus Principis animum iusta indignatione exacerbatum flectentibus. Pauci quos aetas, uel cognationis affinitatisque illecebrae in bellum traxerant, crimenque aliena potius persuasione, quam suapte consilio patrauerant, accedentibus procerum precibus, quos damnati, amicitiae aut propinquitatis necessitudine habebant deuinctos, capitali quidem poena exsoluti sunt; ceterum in uincula conditi, diu in ergastulis habiti sunt, cum quibus tandem ut mitius ageretur, quam eorum scelus postulabat, clementiae Stephani Principis datum est. Multis insuper, qui exilio salutem redemerant, in Vngariamque profugerunt, mitigata procedente tempore Principis indignatione, impunitas donata, criminumque omnium gratia facta est, ac demum bonorum quoque nonnulla ex parte restitutio ad reconciliatam gratiam accessit. Siculorum permulti, praesertim Sedis Csik et Maros indigenae, qui recuperandae libertatis irrita spe in bellum ruerant, partim suspendio necati, ij potissimum qui uel ordines duxissent, seditionisque capita fuissent: partim nasis, auribus, labijsque mutilati, ignominia iuxta ac poena sunt notati, ut dum uanam libertatis spem sectantur, documento ad posteros sint, sortem commeritam, quam ipsis fortuna imposuisset non per diminutam Principis Maiestatem, aut regni

Factiosi damnati partim capite plexi, partim in uincula conditi.

Siculi castigantur.

ruinam resarcire moliantur, sed maximis in rempub. beneficijs egregieque factis mereantur.

Sedata tempestate Turcarum Imperator, qui regnum Transiluaniae ob missum Batorio Principi auxilium sibi magis obnoxium fecisse uidebatur, quinque aureum millibus ordinarium regni tributum auxit, soluendumque imperauit, ne quicquam refragante Principe, priorumque Imperatorum indulgentiam et lenitatem obtendente. Quod quidem detrimentum Bekeso acceptum referri poterat: qui dum alienum principatum uelut ad hastam positam praedam auctioni subijcit, aurariasque fodinas, ac publicarum priuatarumque opum inexhaustam uim, auarissimis Turcarum animis fallaci praedicatione prodit: illi ad rem suam plus aequo semper intenti, occasionem tributi augendi libenter arripuerunt, eoque magis, quod Stephano Principi suppetias uenissent, uictoriamque Bekeso eiecto, ac defensi regni gloriam sibi uindicarent.

Fuso in hunc modum fugatoque Bekeso, oppressisque coniuratis, minime tuta interim Vngaria ab hostium insultibus fuit. Nam dum Maximilianus Caesar, Turcarum insidiarum securus, Transiluaniam duce Bekeso infestat, intestinique discidij artibus prorsus nefarijs in possessionem prouinciae se ingerere molitur, castella nonnulla in superiore Vngaria Kékkw et Deuen, quae Balassiae ditionis erant; Somoskw item et Fonod, quae Christophori Vgnothi erant, fraude Turcarum occupata amisit. Semper enim callidus hostis ad intercipiendum aliquid, et finibus suis adiungendum aduigilans, industria sua et uigilantia quam in nostris non peraeque parem sentiebat, uoti compos est factus. Joannes Balassa ex Vngariae

Quaedam Castella in Vngaria a Turcis intercipiuntur anno 1575.

potioribus primatibus unus, finitima Turcarum finibus, proinde etiam eorum insidijs obnoxia castella, praefectis regenda tutandaque commiserat. Et cum, ut solet aliena cura non aeque sagax et prouida in uicario munere sit, remissa aliquando custodia, Turcae Strigonienses magna ex parte uelites, et furtis insidijsque uiciniam infestantes, intempestis tenebris, per latentes quasdam foueas tacitasque latebras, non sine proditoris opera in arcem penetrarunt, eamque obtruncatis omnibus, qui in praesidio erant, in potestatem redigerunt. Nonnulla ex ijs repentina obsidione circumuenta, procliui iam in uictoriam re, per uim occupauere. Quae cum ad Maximilianum Caesarem fama peruenissent, indignatus foederis initi conditiones, per occupata clandestinis insidijs castella uiolatas esse; quibus diserte cautum erat, ne arces et castella, ui aperta fraude, doloque malo, interciperentur; misso ad Mustafam Passam Budensem Nicolao Istuanfio magnae dignitatis et uirtutis homine, graui querela, multaque uerborum contentione, uim illatam mutuique foederis uiolata pacta conquestus est. Verum Turca pro rebus uerba dare solitus, eos potius fustuario dignos esse respondit, qui incustodita praesidia finitimis hostibus sua ignauia prodidissent. Ecquis uero, inquit, iustae expostulationi locus esse potest, cum uos quoque non tam oblatis quam quaesitis occasionibus per fraudem ac quibuscumque tandem alijs modis subinde idem patretis? *Uos non unum aut alternm Castellum, sed regnum Transilvaniae, Turcarum Caesaris tutelae innitentem, fraude et bello aperto inuasistis, iurati foederis pacta conuenta rupistis, nec Deos nec homines vestrorum facinorum ultores cum animis ve-*

stris agnoscitis. Frustra itaque vestris actionibus foedus et aequitatem praetenditis, cum tam nihil ea pensi habeatis, quam quae ad vos nihil pertinent). Frustra itaque licentiae hostili speciem ullam foederis, et nescio cuius iuris imponitis, cum non ignoretis, ius omne pacis et belli inter hostes, in armis, insidijsque situm esse. Ecquando uero accipitrem uidissent praedam unguibus arreptam sponte sua dimittere ni ui instaretur? Proinde negauit se erepta redditurum, cum inter hostes iurium omnium ius sit maximum, quomodocumque in potestatem redactum retinere; retentis quoad eius fieri posset potiri. Quibus ita nunciatis, uidens Maximilianus altercatione nihil profici, barbarum cui aequitas omnis et humanitas in armis esset, missum fecit, castellisque impune potiri permisit. Ne tamen interceptis per negligentiam custodum praesidijs, nulla irrogata poena, mali res exempli silentio antiquaretur indignationem a Turcis ad Balassam Maximilianus transtulit, et quas ab illis poenas non poterat, a Balassa repetere constituit. Accedentibus enim alijs quoque causis postmodum Balassa captus, et in uincula coniectus Posonij, uix tandem salutem effugio recuperauit: magno futuro ad posteros documento, in praesidijs tutandis ad fidem et animum, curam quoque et diligentiam, tum uero in administrandis rebus prudentiam adhibendam esse.

1575. Atrox pestis in Vngaria et Transiluania.

Sub eundem annum LXXV. ingens in Vngaria et Transyluania pestis, totam late regionem miserabili clade affecit. Vsu experientiaque compertum a

*) A dűlt betükkel szedettek Szamosközy kezével vannak irva a bécsi codex 149-dik lapján oldalt.

sapientissimis uiris traditur, singulis decennijs in Vngaria adiacentibusque regionibus pestilentiae contagia grassari, si modo is annus uel bellorum cladibus, uel aliqua insigni alia publicaque calamitate non interpelletur. Quod sane repetita ab alto annorum hacce periodo, uidetur communis persuasio non omnino ex uano opinionem eam traxisse. Siue autem id ex certis planetarum maligniorum concursibus proueniat, qui aërem uirulentis corruptelis ad certam temporum conuersionem afficiunt: siue quod humores in hominibus naturali quadam et latenti ratione singulis decennijs turbentur uicienturque, unde uarijs discriminibus aetates in pericula ingrediantur: exploratum quodammodo est, eum temporis decursum fatalem Vngariae populis esse. Nam sicut anni noueni, et septeni, aut singulares aut coniuncti, quos gradarios uocant, certis temporum interuallis grandi semper periculo uitam humanam afficere debilitareque putantur: ita denarius qui nouenario contiguus est, easdem uires ob propinquitatem numeri concipere, procliue ad fidem uideri potest, ex quibus pestis certis subinde circuitibus suboriatur. Apostema putridique humoris collectio sub axillis artuumque iuncturis, sed maxime circa inguina tumores, quos bubonas uocant, oriebantur, qui nisi superante ui naturae natiuoque calore foti, in pus soluerentur, erumperentque, insanabili pernicie promiscue quosque trahebant. Multi ferali malo perciti, nascentes tumores exsecabant, malumque malo medicabantur, euentu non semper profuturo. Nihil medicorum remedia, nihil potiones uenenorum antidota, nihil herbae, nulla cura quamlibet docta et accurata, serpens malum remorabatur. Obnoxij prae alijs huic ferali mor-

bo, iuuentus erat, ut semper, teneraque aetas. E Transiluania in Vngariam lues proserpsit, ubi longe exitiabiliter tyrannidem exercuit. Plana enim magna ex parte, intollerandoque calore ardens regio, corruptionem penitius imbiberat, maioreque strage populos afficiebat. Quod malum tantum et tam subitum, quodque late inuasisset omnem regionem ex insperato, sequenti anno magno cum bono mortalium sedatum est.

RERVM VNGARICARVM LIBER QUARTVS.

ARGVMENTVM*).

Idem annus LXXV. memorabilis est Selimi Turcarum Imperatoris, filij Sulimani morte, postquam annos circiter VIII. regnasset, Imperiumque Turcicum adempta Venetis Cypro, profligatis ex Africa Hispanis, utraque insuper Valachia ualidius quam antea edomita subiugataque, Imperium Turcarum auxisset, nomenque suum illustrasset. Successit illi filius natu maximus Murades eius nominis Tertius, annos tunc natus XXVII, qui celata ad tempus patris Selimi morte, tanto cum omnium silentio ad ineundum Imperium, a Bassis primorum consiliorum rectoribus, est in urbem introductus, ut famam aduentus sui celeritate longe ante praeuerterit, priusque uenisse quam accitus esse conspectus fuerit. Ante omnia, ne qua de imperio digladiatio exoriri posset, quinque fratres germanos, natu se minores strangulari iussit, eorum nomina feruntur: Muhemed, Aladin, Ziangis, Abdalla, Zuleiman. Id apud eos ita iam facta solenne est, ut Imperatores nonnisi uulgatis parricidijs infames, regnum auspicari deorumque gratiam sibi demereri putent. Et cum hoc omine parricidiorumque furijs circumuenti regnent: interfectorumque fratrum ac parentum manes, eorum oculis et animis obuersentur: mirum tamen est, quis deus tam im-

Murad Turcarum Imperator creatur.

*) Az »Argumentum«-nak egy lapnyi üres hely van hagyva.

manibus inceptis, felices rerum gerendarum successus suppeditet. Moris autem est apud eos, ut non effuso sanguine, quod crudelius factu esse putatur, sed iniecta gulae bubula chorda, ereptaque respirandi facultate, animam uitalibus inclusam intercipiant. Fratrum caedibus, duarum insuper nouercarum parricidium adiecit, quarum altera grauida fuit, altera putata est: multosque Turcarum proceres, quorum animus ad gratiam ceterorum fratrum inclinatior uel uisus, uel suspicione sola putatus est, e medio sustulit. Licere enim isthic omnia, quaecumque libent, et quod patrandi facultas adest, persuasum omnibus est: nemine illorum nec superum nec deorum infernalium, scelerum ultorum, furiarumque uindictam, cum animis suis concipiente. Janizaros frementes, ad diripiendamque urbem accinctos, eo quod se inconsultis inscijsque, a Bassis primoribus accitus Murades Imperium inuasisset, septuagenis quinis thalleris uiritim distributis placauit; stipendia singulorum auxit; Janizarorum munus in filios adultos et nepotes armis gerendis idoneos hereditarium transtulit; duorum millium accessione eos auxit; emeritos rude donauit, stipendijsque quamdiu uiuerent honestauit; uictum demensumque ex publico ordinauit. Hunc Muradem non Selimi genuinum sed Judaei cuiusdam filium fuisse, uulgata apud Turcas passim fama uel uiuente Murade increbuerat. Nam cum Selimi uxor, primo alteroque partu puellam enixa esset, illeque uirilis sexus prolem, Imperij olim heredem, summis uotis expeteret: mulier tercio foetu grauida, ne quam repudiandi sui, uel e uita tollendi, (quod tyrannis leui quaque de causa procliue est facere) ansam, marito, non sua culpa, daret: ubi puellam iam ter-

Murad Judaeus

tium se peperisse uidisset, communicato clam cum obstetricibus consilio, Judaei cuiusdam uirilis sexus infantem recens editum, suo partui supposuit, permutataque sorte paruulorum, hic pro filio Imperatoris, illa pro Judaei filia educata esse perhibetur. Quod quidem factum licenter in multorum ore peruulgatum, etsi plus famae quam fidei apud plerosque nactum est, uisum tamen est ex ipsorum Turcarum relatione, tectam suspicionis inuolucro rem, non tam animis quam auribus hominum tradere, luculentiusque aperire.

Sequitur hunc annum nobilis Polonici Regni fastigio Stephani Principis Transiluaniae electio, et coronatio. Oppressa Bekesina coniuratione, cum Stephani Principis fama ob recensem uictoriam, qua Transiluaniam ab exterorum armis uindicauerat, late per omnes oras et regiones peruagata esset, occasionem praebuit fortitudinis et excelsi animi opinio, tum uero matura ad imperandum aetas, ut Stephanus animis et rei gestae gloria auctus, praeteritis Caesarum, Regum Principumque aliorum tot titulis et fastigijs unus ex omnibus, non tam honoribus nominibusque amplissimis, quam sapientia inclytus Princeps, in locum Henrici Regis inuitaretur. Nam deficiente Sigismundi Augusti Regis Poloniae uirili stirpe, dum nemo agnatorum maturus aetate et sapientia, amplissimi regni gubernaculo capessendo idoneus superesse censetur, ad exterorum Regum sobolem spes et animos conuertere ordinibus summis placuit. Eligitur itaque et sacro diademate insignitur Henricus Valesius Regis Galliae Caroli Noni frater, anno eius seculi LXXIV. IV. Kal. Junias. Qui postquam regnasset non totum anni trientem, acceptus de obitu fratris Caroli, a regina matre literis, habitoque clam,

Stephanus Princeps in Regem Poloniae eligitur. 1576.

(ut in re nec opinata fieri solet) cum suis consilio, nocte intempesta comparatis ad celeritatem iumentis, pauco admodum stipatus comitatu Craccouia se proripuit, atque antequam a senatu ordinibusque fuga perciperetur, in Morauiam indeque Viennam ad Maximilianum Caesarum accurrit. Hic non diu commoratus Venetias appulit, cui urbi cum Galliarum Regibus magna uetusque necessitudo intercedit, ubi honorifice a senatu amplissimo omniumque ordinum summa gratulatione exceptus, in Galliam tandem mense Septembri redijt, fratrique Carolo in regno successit: auitum hereditariumque imperium, externo et ad regendum succedendumque ambiguo, merito praeferens. Poloni quibus inconsultis regno Henricus excesserat, datis ad eum literis ut in Poloniam redeat hortantur. Ille, nec se ipsum regia Poloniae maiestate abdicans, nec ius omne creandi Regis suo discessu intercipiens, respondit: sibi in praesentia, ut redeat, integrum non esse facere, cum res sua diuersum flagitet. Quod tamen ex aequo utriusque honestum et salutare esset, legatos ad se in Galliam mitti postulauit, quibuscum de rerum summa, constituendoque Poloniae statu consilium iniret, daretque pariter et acciperet. Hoc responso accepto Poloni, legatos iterum expediunt, qui Regem ludis adhuc et spectaculis apud Principem Ferrariae uacantem assequuntur, eique communi omnium ordinum decreto renunciandum curant, nisi ante diem IV. Idus Maius anni uertentis in Regnum redeat, fore ut principes Poloniae ipso abdicato nouum Regem sint electuri. Is dies cum aduenisset, nil ultra praestolandum rati, indicto regni conuentu, Henricus Gallus, Idibus Julii, imperio abdicatur, de nouoque Rege illi sub-

Henricus Gallus Regnum Poloniae relinquit.

1576. maj. 12.

Jul. 15.

stituendo senatus habetur. Hic, ut in omnibus fere Regum electionibus usu uenire solet, dum a stirpe intercisa, in agnatos aut exteros defertur imperium, non sine partium diuersis studijs, res acta est: dum alij regias imagines potius, et titulos nescio quos, quam uere regias dotes, sapientiam, animi moderationem, prudentiam, studium commodi publici spectantes, Maximilianum Caesarum aut e filijs aliquem in Regem exposcunt, nec qualis, sed quis imperet cupiunt. Alij nolentes a regia stirpe deficere, Annae regiae prosapiae heredi, Sigismundi Augusti sorori, imperium deferunt, Stephanumque Transiluanum eius maritum proclamant. Dum ita contrarijs partium studijs laboratur, primum quidem Maximilianus Caesar a maiore potioreque Polonorum parte, per Archiepiscopum Gnesnensem, cuius id munus erat, solenniter renunciatus, suffragiorumque multo applausu comprobatus est. Nec mora, misso Viennam duce Alberto Laski Palatino Syradiensi, ad regnum capessendum uocatus est. Sed Maximilianus honesta sui excusatione usus, Ernestum filium Polonis dare Regem, Annamque regiam puellam in matrimonium illi copulare maluit. Qua de re cum inter eos conuenisset, et tandem ad XI. Kal. Apriles in conditiones iuratum utrinque esset, dum cunctatione et mora, (quae rei gerendae uenenum esse dicitur) desponsum filio regnum corrumpit aduersa Polonorum factio, qui a Germanorum imperio, animos iam pridem auersos habebant, missa solenni legatione Stephanum Principem Transiluanum ad regnandum Annaeque Jagellonae matrimonum inuitarunt, summaque ope orare institerunt, ne consilium, quod tutum celeritate facere posset, damnosum morando faceret,

Polonorum in Rege creando factio.

Marcz. 22.

Maximilianum Caesarem in deliberando consultandoque torpentem, ac pompas ceremoniasque pro rebus usurpantem mature anteuerteret, morantemque aduentu suo excluderet, ut hoc modo aduersariorum molitio euanesceret, electioque Caesaris irrita fieret.

Maximilianus dehortatur Stephanum a suscipiendo Poloniae regno.

At Maximilianus, Stephani Principis electione audita, turbatus tota mente, ueritusque ne spes amplificandae fortunae gloriaeque suae hoc rerum nouarum interiecta obice non nihil retardaretur, competitoris conatibus obuiam contendere tempestiua petitione et admonitione constituit. Qua propter nulla interiecta cunctatione, Christophorum Tiffenpachium magni animi et consilij uirum, qui postea multis functus in Vngaria praefecturis celebre nomen obtinuit, ad Stephanum in Transiluaniam ablegat, renunciatque atque adeo amice hortatur et petit: ne quorumdam Polonorum seditiosis instigationibus, qui rerum nouarum studio delatum sibi regnum turbare factionibus contendunt, subscribere uelit. Consilium, si quod de suscipiendo Poloniae regno cepisset, abijceret, fore enim, ut si temere se isthuc ingereret, desponsumque solenni ritu sibi regnum praeriperet, in exhaustam molem discordiarum, aeternorumque tumultuum sua ambitione, in pacatum nunc tranquillumque non Poloniae regnum solum, sed uniuersum Christianum orbem esset illaturus. Quamobrem ne ulla coniunctionis mutuae dirimendaeque pacis materia utrimque daretur, quae regnorum populorumque statum in discrimen adducere posset, ambitum deponeret, Transiluaniaeque finibus se contineret. Ne uero missae ambitionis, immutataeque uoluntatis gratia indonata esset, pollicitus est Maximilianus, se,

si a proposito regni ineundi Stephanus animum auocaret, auriferam ditionem Riuuli Dominarum*) et Zatmarum, Batoriae olim stirpis auitum patrimonium, Transiluaniae imperio adiecturum, omnique iure successionis et proprietate eorum enunciata, in possessionem perpetuam Batoriorum remissurum. Quibus ita a Maximiliano nunciatis, Stephanus Princeps auditis Caesaris postulatis nullo nec senatus suffragio exspectato, nec conuentu habito, ex tempore Tiffenpachio respondit: sibi ut alijs omnibus, gloriae et existimationis, laudisque acquirendae palmam in medio positam esse. Proinde summa ope anniti, ne uita, quam honeste factis, magnique animi praeclaris in genus humanum meritis illustrare deceret, silentio transigeretur. Quae cum ita essent, Caesar sic haberet: iura amicitiae et fidae pacataeque uicinitatis, sincere cum eo se colere uelle; nullius tumultus ansam praebere: imo quantum in se esset, materiam omnis discordiae semper euitare. Ceterum a Poloniae regno suscipiendo minis promissisque Caesaris minime se deterreri: rite legitimeque delatum sibi regnum suscipere uelle: et quod felix faustumque esset ad capessendum illud, profectionem instituere in animum induxisse. Quibus in hunc modum constitutis, ubi iam Stephanus in Meggies Transiluaniae Saxonum urbe rite electus**) esset, nihil amplius prolatandum ratus, ne sibi quoque casus aliquis occasionem interciperet, ineunte statim uere, per fines Moldauiae et Transiluaniae, exiguis quidem sed selectis copijs, Craccouiam accurrit, ibique Annam Reginam, quae ipsum mari-

*) Ide a bécsi cod. 156-dik lapja alján e jegyzet tartozik: Istvánffi de Szakmario revideatur et Librum cui est nota talis ††† apposita.

**) Az »electus« szót idegen kéz lahuzta s oldalt ezt tette helyébe: vocatus.

tum expetebat, in matrimonium ducit, unaque cum ea ibidem, postquam in capita sacrarum constitutionum
Maj. 1. iurauisset, diadema suscipit, Kal. Maij, anno eius se-
1576 Maximilianus Caesar Polonia excidit. culi LXXVI. His ita transactis, Maximilianus Caesar regno Poloniae frustratus, competitorisque celeritate et industria exclusus, ignominiam maiestati suae impressam non ferens, Ratisbonam conuentum ordinibus imperij edixit, in quo inter alia summo studio institit, ut auxilijs ab imperio subministratis, irritae electionis maculam delere, desponsumque sibi regnum inire posset. Aut si id ex sententia perficere nequiret, in eas tamen conditiones Poloniam redigeret, quibus et nomini suo inustum dedecus dilueretur, et spes recuperandi regni pactorum foederumque lenocinijs sibi posterisque suis stabiliretur. Susque deque interim habens, pro tuenda aut augenda dignitate sua unius, multorum populorum salutem in periculum uocare; quibus pactorum artificijs, cum aliter non possent, proauus eius Maximilianus abauusque Fridericus, Vngariam quoque ad se rapere, non sine multa populorum ruina superioribus temporibus moliti sunt. His animis hisque consilijs instructus Maximilianus, dum regno Poloniae omnibus cogitationibus imminet, comitiaque celebrat, benigno Polonis numine, diem suum
Oct. 13. obiit III. Jdus Octobr. quae quidem fati benignitas imminentium malorum tumultum, tempestiua illius morte antiquauit.

Stephanus Rex bellum in Moschum suscipit. Ergo Stephanus Rex ambitu competitorum iam securus, ubi tutum tranquillumque regnum esset adeptus, factiososque proceres, qui etiam num Germanorum spiritibus et ambitioni fauere non desistebant, partim ui, partim promissis, sibi conciliasset, regnumque tranquillasset, bellum suscepit aduersus

magnum Moschorum ducem Liuoniae recuperandae causa. Cui tam graui arduaeque expeditioni, ne par neruus belli, quae pecunia est, et firmamentum, quod in militum robore consistit, deesset: Transiluaniam, cuius se etiam excedens dominum ferebat, magna ui pecuniae militumque ueteranorum robore exhausit, quo impendio nil Transiluanis profuturo, Poloniam plurimarum arcium, regionum prouinciariumque recuperatione auxit, amplificauitque. Insequenti anno, quum Stephanus in Regnum Poloniae inauguratus coronatusque esset, Casparus Bekes, desperatis omnibus amplius auxilijs, cum iam defuncto Maximiliano quoque Caesare, recuperandae, amplificandaeque suae fortunae spe deictus esset, ad Stephanum Regem, Cassouia, ubi haerebat, transfugit: nihil antiquius ducens, quam cuius uictoris potentiam expertus esset, eiusdem et misericordiam in uictos, clementiam in subiectos, benignitatem in supplices experiretur. Nec uero spem supplicis, melior fortuna destituit. In fidem enim clementiamque receptum tam liberaliter Rex benignus habuit, opibusque et honoribus denuo auxit, ac si nunquam laesus ab illo, iniuriaque ulla affectus fuisset. Vere regiam uirtutem ac prope Deo simillimam ducens, supplicibus et sua crimina confessis subuenire, in gratiamque eos recipere.

Casparus Bekes ad Stephanum Regem confugit.

Stephano Principi in Regni Polonici fastigium euecto, Christophorus maior natu frater, non magis honoribus et generis maiestate quam sapientia inclytus Princeps, in imperium Transiluaniae cupientissimo senatu subrogatus est; posteaquam Varadiensis arcis et circa regionis praefecturam magna cum iustitiae et continentiae laude gessisset. Is ubi magistratum inijt, nihil antiquius duxit, quam ut prouin-

Christophorus Batorius Princeps Transiluaniae 1576.

ciae Transiluaniae statum, multis seditionibus non nihil eluxatum, in integrum restitueret. Nam et si Stephanus quoque Princeps incendio illo Bekesiano quo plane patria deflagratura uidebatur, non parum sopito, nihil sibi reliqui ad summam sollicitudinem tamdiu fecerat, quamdiu de tranquilitate prouinciae dubitatum est: non nihil tamen adhuc latentis odij et simultatis etiamnum passim in animis hominum haerebant, cui euellando extinguendoque, summae uir sapientiae animique magni opus erat. Ita enim siue natura, siue hominum uitio comparatum est, ut multi propter insitum animi furorem, dum priuata commoda publicis praeponunt, malunt communi omnium incendio conflagrare, quam uel tantillum ardentem flammam, moderatione animi compescere. Ergo Christophorus summae rei admotus ita salutaribus consilijs et institutis prouinciam firmauit, omniumque animos beneficentia, comitate, liberalitate sibi deuinxit, ut omnes eum uelut unicum patriae patrem, reipublicae instauratorem, pacis tranquillitatisque assertorem, paribus uotis colerent. Nam et iucunditatem pari seueritate condire sciebat, et sapientiae uim, naturalemque ingenij dexteritatem, in unam Regni suorumque incolumitatem referre didicerat. Eius uirtutibus si comitem se fortuna uitaque longior praebuisset, non est dubium, quin sub hoc Principe, Transiluaniam, uarijs aliorum artibus quassatam, legibus optimis institutisque florentem aetas nostra plane uidisset. Imbiberat ille a primis adolescentiae annis literarum sapientiaeque liberalissima studia, quae postea accedente firmiore iuuenta, in Italiae luce, Galliarum celebritate, Hispania, Germania, Anglia ita excoluerat, ut in patriam reuerso,

etiamsi generis maiestas, innataeque animi dotes defuissent, ob solam tamen sapientiae doctrinaeque opinionem, regno ille tantoque rerum fastigio dignus fuisset habitus. Ad supplicia uindictamque, ne grauissimis quidem irritatus iniurijs descendit, nec e nobilitate quemquam eo nomine ab se abalienauit. Recte secum reputans fidissimam Principis custodiam esse innocentiam, et uel de inimicis benemerendi studium: nec esse quicquam magis deforme Principi, quam ubi ad summum imperium etiam acerbitas naturae accedit. Vnius ex Vngarorum nobilitate Antonij Tegzes (pharetratum id nominis ualet) merita caedes, qui ad Tibiscum in Niriensi Vngariae tracta habitabat, suspicionem crudelitatis nomini eius ad uulgus inflixisse uidetur. Nam cum Antonius senatum Debrecinien-sem Transiluaniae ditionis uaria criminosaque molestia subinde infestaret, pecoraque eorum ex oppidi territorio, abigeorum opera depeculareturr: tam uero fundorum urbanorum usumfructum, lite adhuc contestata pendente ad se deriuare per uim conaretur: senatus Debreciniensis graui querela importunissimi hominis facinus ad Principem Christophorum deferre non cessabat, supplexque petebat; hominem, reiecto legum omni arbitrio debachantem, auctoritate sua compesceret. Quorum iustis querelis Princeps, ut debuit, motus : literas ad Antonium misit, quibus illum modestiae et aequitatis admonuit. Si quid in agro Debreciniensi se iuris obtinere contenderet, ex aequo et bono liberatique iudicio, non ex ui furtoque experiundum curaret. Verum Antonius contemta talis Principis maiestate, insolentia plane barbara, foedaque petulantia, acceptas manibus literas in senatu discerpsit, natibusque admotas humi proiecit, ac in

Antonij Tegzes caedes.

eius contumeliam pedibus conculcauit, se ne huius quidem eas facturum dicens. Qua illius immodestia et uaecordia, iusta ira Princeps exasperatus, Varadino protinus submisit qui illum uel uiuum uel mortuum in potestatem redigerent. Ergo clam profecti, illum solenniter filiae nuptias adornantem, domo extrahunt in uinculaque nec opinantem rapiunt, ac dum itinere insequentium uim effugere se posse diffidunt, obtruncatum proijciunt. Ita Antonius non prius Principis sententia, quam omnium opinione, capitalis iniuria, maiestatisque damnatus, dignas suae immodestiae poenas expendit. Cetera Princeps tam animi magnitudine et iustitia, quam innocentia et liberalitate insignis, suis ita fuit acceptus, ut ad omnium amorem et emolumentum publicum eum natum esse, merito omnes suspicerent. Si quid in regno, si quid extra, ob Turcarum impotentiam contingebat, quod publicum regni statum turbare uideretur: tam domi, quam militiae ita rem componere studuit, ut amputata tumultus omnis et seditionis ansa, uni paci et tranquilitati studuisse semper appareret.

Ferhad Beki infelix Expeditio 1577. 11. novembr.

In sequenti anno quam Christophorus Transyluaniae Principatui esset initiatus, Ferhad Bekus Filekiensis, memorabili clade ad Sixo oppidum est affectus. Inueterauit consuetudo apud primores militiae duces Vngaros aeque ac Turcas, ut, nihil obstante foederis religione, quae inter Imperatores utrinque iuris iurandi sacramento firmata intercedit, integrum sit ijs qui in finitimis praesidijs excubant stipendiaque uel pedibus uel equo faciunt, non iusto bello, tormentis ingentibus, muralibusque machinis ad arces oppugnandas instructo, sed quantâuis tamen militum manu, depopulandi grassandique causa,

palam clandestinoque excurrere. Haec siue Imperatorum indulgentia permissa, in quam ita in foedere interse conuenit; siue a militibus rapinae adsuetis licentia usurpata, ita in morem uertit, ut multa millia latrocinantium magis quam belligerantium more, e finitimis castellis, dato signo repente congregati, nec inopinata depopulatione uicos oppidaque plerumque lacessant, nonnunquam cladem quam inferre parauerant, alterutri accipiant. Ita fit, ut pacis et tranquillitatis in Vngaria nedum imago ulla, sed ne spes quidem unquam, in finitimis Turcae regionibus praefulgeat. Quibus belli malis attriti quandoque agrestes, subinde et ipsi agri culturam studio belli gerendi commutant, apertumque bellum et rapinam, dubiae paci praeponere non dubitant. Ex hoc genere promanant uolones illi, spontaneam militiam exercentes, raptoque ac excursionibus clandestinis uiciniam infestantes, qui nostris Haidu, Turcis Martalocii, Tartaris Kazakki appellantur, partim equis, partim pedibus merentes. Tali spe praedae Ferhad illectus dum nostros nihil aduersi suspicantes, fallere se repentino impetu ariolatur, accitis undique militibus, missa per finitima quaeque castella tessera, ad quinque armatorum millia contraxerat. Cuius furtum, quo magis nostros lateret, nocturno itinere, ad Sixo oppidum usque, transmisso Saio amne peruenerat, ut eo oppido uastato reliquas ciuitates, quae tributum pendere recusabant, imperata facere cogeret, utque ipse sibi ea audacia maiorem in re militari auctoritatem compararet. Est Sixo oppidum ad amnem Bársonyos incolarum frequentia, nobilique finitimorum mercatura celebre, ac tunc quoque mercium causa ingens totius eius tractus multitudo illuc con-

fluxerat. Ergo Ferhad ex improuiso oppido circumfusus, primum militari Vngarorum habitu aliquot e suis exploratum immittit, mox per cohortes diuisam Turcarum manum in omnes oppidi partes infundit, qui rerum hominumque praedam in plaustra conueherent, diriperent, luctu et sanguine omnia miscerent. Improuisa res ingentem iniecit multitudini terrorem, perculsa enim hostium tam repentina praesentia, cum nec fugiendi spes ulla, nec inermibus aduersus armatos pugnandi copia super esset, qua cuique proximum erat, elabendi uia omni frustra tentata, partim in sacram aedem, tumultuario praesidio obfirmatam, partim in alia urbis latibula plerique se abdiderunt. Ut autem quisque in fuga postremus, ita periculo princeps, hostibus praedae fiebat. Ingentem consternatorum hominum, omnis sexus, omnisque aetatis numerum, et neque fugae nec pugnae potentem, ferus hostis pro lubitu agebat, ferebat, caedebat, sternebat: quorum stragem maior rerum praeda augebat. Vbi sic per aliquot horas grassati, quidquid hostilis furor poterat, patrassent, et iam multum diei procesisset, Ferhad ex mercatu Turcicis artibus concelebrato, retro signa referre constituit. Hae cres urgentibus alijs super alios nuncijs ubi nostris innotuisset, tonitruque aeneorum tormentorum (ita enim moris est), per omnia castella, hostis praesentia promulgata esset, extemplo praefecti praesidiorum Vngaricorum, quo Ferhadis nefariam audaciam celeritate praeuerterent, ad Sanpetrum oppidum, ad Saio amnem situm, qua illi redeundum fuerat, non magna quidem, sed ualida militum manu, alij post alios a Cassouiae nobis usque partibus, opinione citius Turcis occurrerunt. Sigismundus Rakocius Vngaricarum, et Claudius Roussel

Germanicarum cohortium praefecti in arce Zenderoe (quod a Sancto Andrea cognomen habet), primi Ferhadis animos et reditum obsesso itinere retardarunt; mox et Franciscus Gezius et Valentinus Praepostuarius uiri in re militari magni nominis pro se quisque ualida armati manu illis se adiunxerunt. Ita concurrentibus undique ueteranorum pariter ac tyronum auxilijs, Ferhadem multam rerum hominumque praedam trahentem, sub uesperum aggrediuntur. Atrox pugna comittitur. Nam dum illi ingentem praedam subtrahere, hi recuperare conantur, omnia truculentissima caede et sanguine utrimque miscentur. Ad extremum nostri Ferhadem ita fuderunt fugaruntque, ut ea accepta clade, uix unquam postea uel manifestam uel clandestinam in Vngariam expeditionem suscipere ille sit ausus. Pugnatum est sero uespere, caelesti flamma, singulari siue casu, siue numinis prouidentia, tenebras discutiente, quae res postea deuinctis superstitione animis in prodigium uertit. Cum enim tenor certaminis in ultimam defatigationem calore pugnandi prouectis processisset, ingentem cometam admirabili flammarum fulgore, in medijs plus minus capricorni partibus apparuisse constat, cuius salutari lumine adiuti nostri, maiore caede hostes eodem sidere perculsos confecerint. Flamma enim insano incendio similis, terras non sine terrore ita perfuderat, ut diei quam nocti similis ea hora fuerit uisa. Eius cometae sensim deflagrantis fuliginosi radij in ortum porrecti, ad duos menses continuos iustum cometarum durandarum spatium fulserunt, subinde lumine sensim deminutus euanuit. Pugna facta ad III. Idus Novembris, anno eius tempestatis LXXVII. Ex hostibus capti caesique ad bis mille. Ex nostris, 1577. nov. 11.

qui mille et trecentos uix excedebant, pro numero pauci. Captiui omnes liberati, praeda ingens parta, ac sub hasta uendita, manubialis pecunia inter milites distributa, pars nonnulla in sacerdotes et paupères erogata. Enimuero usu compertum apud nostros est, inferentium quam propulsantium uim, magis obnoxiam cladi esse. Illi enim dum aliena inuadunt, fortuna duce, hi dum sua defensant, uirtute belli gerantur. Et quanto causa horum iustior, tanto fortuna aequior his, illis infestior.

Haec dum in hunc modum in Vngaria parum secundo Turcarum Marte administrantur, ne humana tantum uis illos attererit, etiam coelesti detrimento anno sequenti sunt mactati. Ad XIV. siquidem Kal. Junias pars non exigua arcis Budensis, quae Danubium subterlabentem despicit, fulmineo igne icta disiectaque est. Cum enim isthic sulphurei pulueris ducenta fere doliola centenarum librarum singula capacia ad accendenda eiaculandaque tormenta, diligenti custodia asseruaretur: ex insperato tanta tempestas ab Austro exurgens cum grandine ac tonitruum fragore coelo deiecta est, ut populata eius tractus annona, quae iam in frugem exurgere caeperat, urbem quoque ne solus ager ea calamitate plectetur, memorabili clade affecit. Nam intempesta nocte fulmen in coaceruata dolia incidens, concitatissimique incendij alimenta subito ictu corripiens, horrenda derepente strage murorum palatiorumque ingentem ambitum disiecit. Qui ad propugnacula excubias agebant, aliosque item qui fatali perniciei proximi erant, ita strages ruinis humauit, ut idem momentum mors pariter et sepultura illis fuerit. Sublimia palatia spirantibus signis, multisque alijs clarissimis ornamentis a Regi-

Ar Budensis fulmine disijcitur. 1578. Jun. 19.

bus olim Vngariae exculta, ea hora a fundamentis euersa perierunt. Praecesserunt hanc ruinam uaria prodigia. In his uitulus bubalini generis biceps editus, cuius duplex caput ab reliquo recisum trunco, portaeque urbis Budae affixum diu pro ostento spectatum est. Frequentia item templa fulmine percussa. Danubij insolens exundatio. Et Turca sacerdos, damnata palam Mahumetana impietate, Christianae fidei ritus magna animi uerborumque contentione professus est, qui tandem ob nouatae religionis crimen, impietatis damnatus, lapidatus Budae combustusque est. Prodigia.

Quae dum in hunc modum diuersis in Vngaria locis geruntur, Stephanus Rex Poloniae idemque Dominus Transiluaniae, firmato regni Poloniae statu, Pontificis summi Gregorij XIII. auctoritate, celebre Claudiopoli Gymnasium Societatis Jesu instituendum curauit: non sine magna tamen ordinum magnatumque nonnullorum offensione, querentium iura prouinciae, sanctionesque iurisiurandi sacramento constabilitas, intrusis iterum reiectae pridem religionis reliquijs conuulsum extinctumque iri. Quae plerique, sed maxime Claudiopolitani uociferabantur, qui damnato pridem usitato orbis Christiani de Deo consensu, in Samosatenianae opinionis sententiam sese ingurgitauerant. Atque ideo reuocatum pristinae religionis statum, non mentibus solum concipere, sed ne auribus quidem atque oculis accipere uolebant. Verum enimuero rex futuri prouidus, eo magis salutare propositum urgere non desistebat, quo et quassatas neglectasque scholas, tum uero proiectam passim conculcatamque maiorum religionem receptosque ritus uidebat. Ita enim putabat fore ut horum opera et diligentia, utilissimum cum ecclesiae catholicae, Collegium societatis Jesu Claudiopoli fundatur. 1579.

tum reipublicae plantarium, iuuentutisque seminarium, in prouincia liberalium artium studijs destituta reflоresceret. Primus Joannes Lelezius Vngarus, mox alij quoque eruditione et honestae uitae opinione clari uiri, eius muneris curam Claudiopoli in se receperunt. Nec tamen inter haec contumacia ordinum studia deerant e nobilitate summi et prudentes uiri, apud quos sancta adhuc remanserant maiorum scita, ecclesiaeque Romanae decreta; qui non obscura inclinatione studiorum ueterem religionis formam instaurari cupiebant, eoque nomine Regem precibus sollicitabant, uti regnum, reuocatis postliminio maiorum sanctorum hominum placitis et ritibus, sua auctoritate in statum pristinum conformaret. Respiceret iacturam priscae pietatis, scholarum ecclesiarumque naufragium. Esse rempublicam religione destitutam, quasi corpus inanime, spirituque quo foueretur indignum. Principum esse, non uoluntate tantum et animis, sed etiam re ipsa et oculis seruire commodis subditorum. His alijsque rationibus Rex sapientissimus, idemque fortissimus inductus, legato ex Polonia in Transiluaniam misso, ad minorem urbis Claudiopolis aedem collegium erigendum curauit. Cui etsi primum senatus sedulo reluctari uideretur, quiritando deosque ac homines contestando, se inuitos eius religionis uiros in urbem recepturos: et, si quid inde unquam in rempublicam Transiluanam detrimenti proueniret, non penes se fore eius noxae culpam, sed cuius imperio, nollent, uellent, id iugum impositum subirent: sopitis tamen utcumque, delinitisque eorum animis, praebitus patribus locus est; qui mox aedem sacram iniquitate temporum paene desolatam, inductis maiorum antiquatis ritibus, multa accessione splendoris re-

staurarunt: ac proxime collegium insigne aedificijs, erigendum curauerunt. Quod Rex optimus idemque doctissimus reditibus locupletatum, diplomatisque munitum, perenne sui nominis monumentum esse uoluit.

Bassa Budensis strangulatur.

Sub idem tempus cum haec et talia in Transiluania geruntur, Mustafa Basa Budensis, iussu Muradis Turcarum Imperatoris in Vngaria strangulatur. Est hoc in more Turcis, ut uiros Principes, quos clementiore caede plectendos curant, collo bubulis neruis inserto, fractis ceruicibus interficiant. Hoc enim supplicij genus, existimant naturali morti quam esse simillimum, quod sanguis, in quo anima esse perhibetur, non effundatur, sed in ipsis artuum penetralibus, reliquis admissus membris, suis in sedibus remaneat. Quae fuerit Bassae interfecti causa, uario per id tempus rumore est circumlatum. Turcae ipsi nugis rem corrumpentes, fescenninos quosdam cantus illum composuisse narrant, quorum licentiâ in impudicitiam filiae Caesaris luserit. Ea res in aures Imperatoris delata, exitio illi fuerit. Sed hoc uulgi commentum uideri potest, quod cum ad secretiora consilia penetrare non potest, externum duntaxat rerum corticem delibat, pro lubituque causas fingit et deuulgat. Enimuero et quod arx Budensis, foeda cum multorum internecione, coelesti igne sit euersa, crimini illi dabatur; et quidquid id erat sinistri ominis, illi imputabatur, quem ueluti piacularem hostiam, ob non suum delictum plectendum iudicabant. Nec enim quid quibus de causis fiat, sed barbara plane ratione, quis rerum sit euentus Turcae considerant, cum apud eos non consilium sed euentus constituat crimen. Quapropter iuxta rerum secundum uel aduersum euentum, praemium uel poena summis quibusque

uiris decernitur. Jam et illud passim ferebatur, quod cum Christianis ille parentibus fuerit natus, sed ab ineunte puericia in impia Mahumedis sacra per uim sit initiatus; tacite pietatem Christianam, cum animo suo etiamnum recoluerit. Eamque ob causam Christianis impense fauens, omni eos beneuolentia et caritate sit complexus. Nam et uectigalia, quae a superioribus Bassis, uarijs subinde commentis titulis paene intollerabiliter aucta erant, quoad eius fieri poterat, clementioribus ipse rationibus eleuabat, miseraeque plebi Vngarorum, suae ditioni subiectorum, qua poterat facilitate, mansuetudine, onerumque publicorum relaxatione conniuebat. Quippe qui sciret, ad clementiam boni praesidis pertinere subditos benignitate misericordiaque fouere. Et cum ita in Christianam religionem tacita uoluntatis significatione esset affectus, fertur Joannes Princeps Transiluaniae, in magnam spem adductus recuperandae e Turcica tyrannide Vngariae, clandestino foedere in eam sententiam consiliumque cum eo ingressus fuisse, ut Joannes tradita sibi in potestatem Buda, eiectisque communibus auxilijs e uiscere Vngariae Turcis, Bassae ipsi perpetuam in Vngaria praefecturam non exiguae regionis donaret, quae per omnem aetatem perpetuo dominatu apud eius haeredes illibata remaneret. Hanc autem conspirationem, qua clam Joannes et Basa se alligare pro recuperanda Vngaria moliebantur, commodum eo contigisse tempore, quo Joanni ex Austriae a Caesaris Maximiliani familia uxor despondebatur. Hac occasione Maximilianum quoque Caesarem in idem foedus consensisse, eoque magis Basam propositi tenacem in sententia constanter perseuerasse, ut, si (quod abominaretur) inceptis euentus non

responderet, perfugij locum tutumque receptum Basa cum apud Maximilianum tum apud Joannem inuenerit. Accedebat ad augendam de Basa suspicionem magni uis argenti, quam ille Sebastiano Toekoelio, opulento inprimis in Vngaria negociatori elocasset, qui eam pecuniam suo nomine foeneraretur, et, si res, quam iam pridem animo moliebatur, minus ex animi sententia succederet, transitione in Vngariam facta, ea pecuniae uis subsidio afflictis suis rebus esset. Dum ita dies ex die prolatatur, commoditatemque expediendarum cogitationum Principes aucupantur, Muradem Caesarem minime fallaciae suorum opportunum, eius conspirationis certum esse factum memorant, praesertim cum aula Bassae Vngaris hostibus finitima, exploratorum plena esset, qui omnia Bassae consilia, ad Imperatorum Muradem transmitterent, apud quem uel suspicio, quantumlibet tacitis cuniculis pressa, si quoquo modo percrebuerit, capitalis esse solet, ne quicquam reo ius et iustitiam quiritando implorante. Quae dum in hunc modum coniecturis magis et suspicione, quam certo cognita, in uulgus emanassent, Murad, ne coeptae coniurationis fumus in incendium erumperet, continuo quatuor e ministris legatos, quos Ciausios uocant, Budam mittit, quibus denunciato capitis periculo imperat, Basam quam minimo cum tumultu, primo statim aduentu, e medio tollant. Horum lictorum unus fuit Ferhad ille, qui postea in summorum Consiliorum senatum quos Vezeros uocant cooptatus, proximo Sinaniano bello Danubium ad Transalpinam Valachiam ponte consternere fuerat iussus. Verum dum segnius rem exsequitur induciarumque et pacificationis spe, se a Transalpino et Transluano deludi sinit, quo inte-

rim commoditas rei gerendae elabatur: Muradis iussu faucibus elisis strangulatur, Sinanque Bassa illi sufficitur. Ergo Ciauzi Byzantio profecti mutatis ad celeritatem iumentis, Budam ocyssime aduolant, Basamque iam de rerum suarum euentu non nihil suspicabundum conueniunt. Quibus ille uisis, protinus nihil sibi laeti auguratus animo: agnosco inquit, caedi meae destinatos carnifices. Plura locuturo Ciauzi exposita paucis ultimae necessitatis denunciatione, ac frustra manus tendenti et obsecranti, ut filios uxoresque uno uerbo alloqui liceat, iniecta collo bubula chorda in eum usum parata, ferali in sella collocatum elisis faucibus suffocant. Filij paterni supplicij expertes, bona omnia caduca creuerunt, eodemque in gratiae et honoris loco, Imperatoris indulgentia apud suos remanserunt. Plerique autem eorum, quos hoc modo tyrannus e medio tollendos curat, moderatiore quam credi possit, animo necessariam mortem subeunt. Jubentur in sella, quae ultima illis est sedes futura, se collocare; mox uinctis ad ipsa sellae fulcra pedibus et manibus, coram tyranni edicta recitantur. Nec fas est ullam uel affectu uel aspectu indignationem praeseferre, sed uelut ad tribunal iudicis, capitis damnati ultimam fati legem supplices exspectant: ita hi uultu ad omnem patientiam composito, nullaque purgatione sui tentata, fatentur se, quicquid summus Imperator pro sua aequitate statuisset, iure promeritos, irrogatamque poenam aequo animo subituros. Et quod mirum est, nonnulli, etiam quibus elabendi ad Christianos non deesset facultas, malunt immeritam caedem subire, quam transfugio aeternam nomini maculam inurere.

Subidem tempus quo Basa Budensis morte esset

affectus, Alba quoque Julia, Transyluaniae urbs, simili quam Buda fato afflicta est. Pulueris enim tormentarij uis ingens in turri urbis in quadrum positae, qua angulus Apuli amnis et Marisi confluentiam spectat, repentino fulmine noctu inflammat, magnam muri partem disiecit, aedesque circum uarie dissipauit non sine urbanorum graui pernicie. Alba Julia fulmine jicitur.

Sub eundem annum Franciscus Dauides, Samosateniani dogmatis in Transiluania cum Blandrata inuector, cum in longe exsecrabiliores de Deo Christo opiniones fuisset prouectus, habita super ea re Albae sacrorum antistitum ordinumque concilio, ob innouatam religionem crimine impietatis, capitisque damnatus est. Qui iussu Christophori Principis Deuam in carceres deportatus, paulo post phrenesi correptus est; cumque ea ualetudine triduum conflictatus esset, mancus alias et membris paene omnibus ob colicos affectus captus, diem suum extremum obijt. Sepultus ibidem ad urbanae aedis limen quae sub pedemontio arcis uisitur, transuersa sepultura. Franciscus Davides moritur 1580.

Haec dum ita mira casuum uarietate diuersis in locis geruntur, non minor sortis alternae tempestas, in uita quoque illustrium personarum per eadem tempora uisa est. Vix enim unquam summos uiros fortuna eodem in tenore conseruat, sed inter ornamenta et dedecora alterna uice uersare solet, aduersa secundis, secunda aduersis subinde subnectendo. Qui modo summo in gratiae splendore, opum magnitudine, honorum claritate conspiciebantur, mox ad scalas gemonias funesti carnificis manu lacerati, spirituque exuti, probrosa fine uitam claudunt. Alij e regio fastigio deturbati, exilio plectuntur, perque uices solium adepti, in eodem fortunae theatro uitam finiunt. Alij ex

infimis sordibus in summos honores scandunt, multi honoribus deiecti in plebe sordent, et quod maius est, indignitate omnis haec uariatio miscetur. Quae cum alibi quoque gentium et locorum promiscue gerantur, uix tamen ulla tempora in patrijs historijs uideo, quae brevioribus interuallis plura humanae uicissitudinis exempla suppedirent, quam nostra Vngaria et Transiluania, ubi uere coeca illa uariabilisque fortuna sedem suam posuisse uidetur.

Stephani Dobonis infelix fortuna.

Erat Stephanus Dobo, inter proceres Vngariae, uirtute, opibus, rebus gestis amplissimus. Qui ob seruatae pridem Agriae gloriam, tum uero ob Transiluaniae principatum a Ferdinando Rege, absente tunc exulanteque in Polonia cum filio Isabella Regina, uirtutis ergo illi collatum, omnium in se oculos conuerteret. Et cum haec illius gloria in integro esse putaretur, inuenti sunt quidam, alienae laudis carnifices, qui summum uirum infamia intactum, inuidia urgerent, in uitaeque periculum adducerent. Ita enim uicio malignitatis humanae comparatum uidemus, ut improba et male nata ingenia, cum ipsa humi serpant, hominum tamen uerticem depascantur, eosque potissimum in falsae et iniquae fame tempestatem inuoluant, quos uirtute et gloria excellere uident. Cum postremo Maximiliani cum Sulimano bello, Dobo iam aetate affectus morbisque praepeditus, domi suae se contineret, milites tamen, quos debebat, ad Caesarem copias undique cogentem misisset, sedato postmodum bellorum tumultu, a Mathia Viszmandio sycophantisque et palpatoribus alijs, suspicione transfugij, ad Caesarem delatus est, quippe qui cum Joanne Transyluaniae Principe conspirans, relicta Vngaria in Transiluaniam ad maiores opes longeque

luculentiores honores, transitionem facere destinasset. Hac obrutum suspicione, cum Maximilianus adhibita obtrectatoribus aure et fide in comitia Posonium uocasset, indicta causa in custodiam tradi iubet, bonaque omnia quae passim in Vngaria, in praedijs, uillis, oppidis omnique fundo amplissima habebat, diripienda passim publicandaque curat. Vix post biennium custodia solutus, ubi domum redijt per paucos dies superuixit. Siue enim aegritudine animi, siue aetatis confectae maturitate, uitam finijt. Franciscus filius, bonorum omnium exasse heres, in uico Rusca, unde gentilicium cognomen ei familiae datum est, insigni posito monumento defunctum condidit. Sicut autem Franciscus pius in patrem eiusque manes fuit, ita in diuexanda matre nihil quicquam pensi habuit. Sara e Suliocum illustri genere prognata femina animi corporisque dotibus, tum uero uitae integritate conspicua, Francisci mater fuit; quam multis post defunctum Dobonem annis, Paullus Csiakius e Transiluania ob rebellionem Bekesianam profugus uxorem duxerat, cuius coniugio fractam suam fortunam nonnihil subleuatum iri sperabat. Sed ubi illam duxisset, paucis post annis, nulla ex illa suscepta prole Paullus interijt. Franciscus hac occasione inductus, matrem iterum uiduam, e communibus fortunis, eque ditione Sarospatakiensis amplissimi prouentus oppidi, quod illa pro se filioque, nondum e potestate materno emancipato, pecuniaria emtione olim acquisiuerat, per summam iniuriam exclusit, eoque angustiae deduxit, ut ad extremos egestatis terminos redigeretur. Multum illa quidem ac diu, cui ex quadrante omnis illa hereditas debebatur, cum filio legibus certando eam controuersiam disceptauit. Verum tandem cum

Sarae Dobonis conjugis calamitosa conditio.

uideret plausibilem filij causam largitione obtinuisse, suam uero iudicum tacitis praeiudicijs, litisque multa ampliatione confossam esse: Deum hominesque contestata, se iniquissimi iudicij mole, filijque impietate opprimi; litem omnem perire passa est, ac se in exiguum uillae suae angulum seclusit, ubi extremae uitae reliquias summa in egestate exegit, ad acumque et colum redacta, filium in beata rerum omnium copia exsultantem aequis animis sustinuit. Digna mulier, quae ne ab hoste quidem, nedum a filio tali calamitate plecteretur. Sed enimuero infelicibus auspicijs suscepta proles, quicquid parenti, uitae suae fortunarumque auctori detraxit, nec eo ipse, numine uindice, nec consanguineorum quisquam potitus est. Nam et ipse Franciscus, septem liberorum per interualla parens, omnes eos uixdum in uitam ingressos, in uitae limine amisit. Et Jacobus patruelis, Dominici filius, Vngaricae iuuentutis princeps, qui alter bonorum erat heres, in primo aetatis flore interijt; dum infelix adolescens praecipiti equo temere raptatur, moxque tergo excussus immoderatae exsultationis poenas expendit. Et Christina soror Francisci uterina, Valentino Balassae consobrino suo nupta, secundas easque inauspicatas nuptias, mox probroso diuortio, tandem infelici morte clausit. Ita nunc Franciscus ad unum solius caput redactus, exspectat heredem, cui bona, quibus parentem excluserat, committat.

Sasuar Begh ad Nadudvar clade afficitur. 1580.

Quae dum ita geruntur, Sasuar Zolnok arcis praefectus, quem Begum uocant, magna clade a nostris est affectus. Fuit Sasuar hac tempestate apud Turcas magni dux nominis, qui repentinis excursionibus quaquauersum factis, cui Zolnok arx prae alijs est imprimis accomoda, magnam cladem Vngariae

parti, quae nondum tributaria Turcis erat, intulit, nonnumquam ipse accepit. Ex improuiso igitur cum bis mille et quingentis turcis pacatiora Vngariae adortus, quaecunque obuia nactus erat, proterit, obruit, palantes agrestes et nihil hostile suspicantes caedit, agitque, terrore tumultuque omnia complet. At praesidiorum Vngaricorum praefecti, qui ad omnes hostium insultus paratis subsidijs in artibus excubabant, ubi certis nuncijs, tormentorumque elisorum (ut moris est) tonitru hostem adesse cognouissent, nulla interiecta mora, ut cuique facultas armandi suos suppetebat, obuiam hosti contendunt; illud maxime dantes operam, ut aduentus sui famam celeritate praeuerterent. Jam Sasuar pergrassatus magnam regionis partem, multa rerum hominumque praeda onustus, signa referre coeperat. Quem ad Nádudvar oppidum, patenti campo nostri assecuti, quamquam imparibus uiribus se Turcae occursurus intelligebant, pulcherrime tamen mori, quam tantam hominum calamitatem impune dimittere maluerunt; summa igitur totius praelij, instruendaeque aciei Francisco Geztio magni animi et uirtutis uiro in praesentia tradita est, qui accepto munere, paucis omnes cohortatus, intrepide in hostes cuneata acie quingentos e suis repente immisit, mille qui restabant, in phalangem redigit. Ji cum praelongis hastis confertim se in illos inferentes, totum hostium exercitum bipartito discidissent, Turcae uix exspectato reliquo subsequenti agmine, cedere e uestigio, tergaquo uertere coeperunt. Ac dum consternati per coaceruatam hominum rerumque turbam, quam in extremum retruserant agmen, praecipites in fugam effusi essent, protinus nostris uictoriae ingenti, sibi uero magnae stragi locum

dederunt, capta nouem uexilla, sexcenti amplius Christiani captiui liberati. Suffragata est uictis aperta planicies, quae ad Zolnocum usque nullis siluarum aut collium impedimentis extenditur. Caesi nihilominus ex hostibus dicuntur ad mille ducentos, quorum capitibus ceruice reuulsis, ligneos muros arcium uallosque, uti moris est, passim coronarunt, praefigentes ea sudibus in sublime per murorum minas erectis. Sasuar trepidus cum equo, quo se in fugam commiserat, interfecto, pedes diu fugisset, desultorio tandem altero receptus, uix in tutum euasit. Haec gesta anno nostrae tempestatis LXXX. ad XIV. Kal. Aug. Eodem anno pridie Nonas Apriles Hatuani oppidi suburbia, quae Turcae negociatores merce pariter et praeda opulenti, tuto se inhabitare rebantur, Agrianorum militum ceterorumque procerum Vngarorum repentina impressione direpta sunt. Praeda ingens asportata, pecudumque ingens numerus. In his XXV .cameli.

1580. Hatvani oppidi suburbium diripitur.

Sequens annus nobilis est Transiluanis, Sigismundi Principis electione et Christophori parentis eius morte. Nam Christophorus Princeps cum sibi assidua ualetudine correpto, fatalem indies horam imminere sentiret, ne quam Transiluanis tumultuandi de principatu ansam praeberet, missis ad Stephanum Regem Alexandro Kendio, et Ladislao Somborio, magnae uirtutis et prudentiae uiris, potestatem eligendi Principis impetrauit. Habitis itaque mense aprili Claudiopoli comitijs, creatur ingenti omnium consensu Sigismundus Princeps, Christophori filius nouennis, qui ne extemplo magistratum iniret, aetatis immatura ratio efficiebat. Quibus ita constitutis, Christophorus Princeps, cum nondum satietate uiuendi nec naturam nec patriam expleuisset, ingrauescente ob

Christophorus Princeps moritur 1581. (28. Maij.)

assiduos corporis morbos aetate, decessit Albae ex humanis, cum uix adhuc a funere coniugis Elizabethae, Georgij olim Bochkai filiae, lectissimae integerrimaeque Principis respirasset, quam tertio ante mense, mors ab eo separauerat. Is cum quinque annos summa cum iusticiae et clementiae laude Transiluaniae dominatum tenuisset, ualetudine podagrae, uarijsque articulorum morbis attritus, bene meritum de republica spiritum Deo reddidit anno aetatis suae poene L. Ei Stephanus Rex Poloniae, frater non magis corpore quam animo coniunctissimus, monumentum insigne sane et magnificum, paucisque uel Italiae uel Germaniae postponendum, in aede minore Albae ponendum curauit. Duos reliquit liberos superstites, Sigismundum Principem, et Griseldim maiorem natu, quae Stephano Rege procurante Joanni Zamoscio, summo Poloniae cancellario, uiro magno et sapientissimo nuptum data est. Christophori Principis mortem, summorum procerum in Transiluania obitus, proxime praecesserunt subsecutique sunt. Georgij Banffy militiae principis, prudentiae bellicaeque laudis opinione summi uiri: Christophori Hagymasij, potentia et opibus clari uiri, quem affinitate sororiarum nuptiarum sibi iunxerat. Dionisij Ciaky, ex sorore nepotis, illustris et summi uiri, quorum procerum funesto occasu, uisa est mors clarissimo Heroi parentare.

Balthasar et Andrea Batorij fratres.

Assumpto in principatum Transiluaniae Sigismundo, restabant duo Batorij fratres adolescentes, Balthasar et Andreas, ipsius Regis Stephani ex fratre Andrea nepotes; quos in spem clarissimarum uirtutum educatos consentaneum erat adminiculis uitae ad gloriam acquirendam fouere: adeoque in templo Virtutis altos et nutritos, in templum Honoris pro-

uehere. Ergo Rex sapientissimus idemque futuri prouidentissimus, caros nepotes, ubi rudimenta studiorum liberalium tenacius inbibissent, e Transiluania ad se in Poloniam accitos, in Pultouiense Societatis Jesu collegium collocauit, ut ibi rectissimis studijs atque optimis artibus exculti, ad splendorem domesticam, ingenij quoque gloriam adiungerent. Neque uero hac in parte fiduciam pro identissimi Regis patrui destituere. Ita enim inter bonas artes, breui, integra eorum ingenia adoleuerunt, ut omnibus animi dotibus aequales aetate excellerent. Et iam cum in utroque generosarum uirtutum clarissima semina elucescere coepissent, Balthasarem, quia is omni animorum impetu ad bellicae industriae opera rapiebatur, militaribus officijs obeundis destinauit: Andream natu quidem minorem, sed studijs honestarum artium et sacro sancti ministerij ratione, tum uero futuri principatus praesagio longe omnibus maiorem, ad sacra tractanda procurandaque religionis mysteria consecrauit. Ergo hunc percipiendae sacrorum disciplinae gratia, Romam unde pietatis uniuersalis fons, in orbem Christianum manat, Rex missurus; primum Michouiensi ecclesiastica dignitate, quam Praeposituram uocant, ornauit. Deinde ad summum Pontificem Gregorium XIII. honorificam legationem Regis Stephani nomine obire iussus, ubi in urbem appulit nihil antiquius habuit, quam ut iniunctum sibi munus cum auctoritate perficeret. Qua quidem in re ita se gessit, ut in illa luce Italiae, lux Principum fuerit. Cum autem aliquandiu isthic commoratus fuisset, ab his innatarum uirtutum fontibus, sensim profluxit in famam purpuratorum antistitum: mox in intimam familiaritatem summi Pontificis re-

ceptus, communi Apostolici Senatus suffragio inter punicei pilei Patres cooptatus est, Cardinalisque Diaconus tituli Sancti Adriani creatus. Reuersus ex urbe ad patruum Regem in Poloniam, Varmiensi Episcopatu magni nominis decoratur. Inde iterum in urbem missus, dum isthic solito longius commoratur, Balthasarem fratrem, quem Rex patruus ad perlustrandum paene Christianum orbem omnem, paucis ante annis ab se dimiserat, magna cum gratulatione e Danica, Scotica, Noruegica, Francica, Hispanica, Anglica peregrinatione redeuntem excepit, nullo uel amoris, uel officij, uel pietatis officio praetermisso. Hinc ubi tot aucti honoribus, natiuum splendorem multa occasione famae et gloriae ambo cumulassent, reuersuri Roma in Poloniam, uti bene merito Regi ob accepta beneficia debitam meritamque gratiam referrent, fati inuiolentia spem omnem eorum praecidit. Nam dum uiuum alloqui regem, gratantique salutationis gratulationisque officio impertire incolumen cupiunt, magno cum moerore mortuum inuenerunt. Cuius intempestiuo funere,omni spe maioris fortunae consequendae destituti,Andreas in Polonia in sacri muneris ministerio constitit; procedente non multum tempore in Transiluaniae principatum assummendus: Balthasar inTransiluaniam ad Sigismundum Principem patruelem reuertit. Porro haec agnatio gentis Batoriae (nequis curiosior stirpis propaginem a nobis desideret) in hunc modum habet. Stephanus Batorius, qui gentilicium cognomen per omnem prosapiam ab oppido Somlio traxit, Joanne Rege, Princeps Transiluaniae fuit. Is ex filia Stephani Telegdy, Catharina, de genere Cianad, (fuit is Vngarorum Dux uetustissimus, a quo et urbs episcopalis ad Marisum, condi-

Andreas Batorius in Cardinalium Senatum consecratur 1584. 4-a July.

Batoriae Stirpis Genealogia.

toris nomen huousque retinet) tres filios suscepit: Andream, Christophorum Principem et Stephanum Regem, totidemque filias: quarum prima Gasparo Dragfio illustris familiae uiro, deinde eo defuncto, Georgio Batorio, Stephani, qui nunc in Vngaria late dominatur parenti, nuptum data fuit. Altera Ladislao Kerecenio. Tertia Demetrio Ciakio, Stephani, qui nunc ex ea gente solus super est, auo. Stephanus Rex, Stephani filius minimus natu, nulla quidem sobole genus auxit, sed numerosa gloria sua ita posteritatem illustrauit, ut se ab iniuria obliuionis, longe magis quam ulla progenie, aeternum asseruerit. Christophorus Princeps, Sigismundum habet solum ad haec usque tempora superstitem. Andreas ex Margarita Stephani Maylati filia, filium cognomine Andream minimum natu reliquit, quem nunc florentem aetate et uirtute Transiluanorum populi Principem uenerantur. Gabrielem item et Balthasarem; quorum ille fatali peste interijt, huic immerito, uita, et unde minime decuit, erepta est. Et Stephanum maximum natu, per uarias utriusque fortunae uices agitatum: quem iam, inclinante se, tandem Deo in causam aequitatis, in tutiore statu sors benignior locauit. Et his quidem ita constitutis, nunc ab diuerticulo in susceptum rerum ordinem reuertemur.

Sigismundus in Principatum Transyluaniae assumtus.

Ergo defuncto Christophore Principe, ubi Sigismundus uix dum pueritiae annos ingressus, in parentis demortui locum substitutus esset; quo magis tenerae eius aetatis indoles, praeceptis institutisque sapientium consiliorum, ad bene regendi uiuendique normam instrueretur, tribus in regno Transiluaniae proceribus fide et sapientia prae caeteris eminentioribus traditus est, Alexandro Kendio, Volfgango

Kovaciocio cancellario, et Ladislao Somborio, quibus praeter generis nobilitatem, accedebat literarum decus, rarum in Vngaris proceribus ornamentum. Hi itaque munus illud amplum necessitatis, operosamque prouinciam ingressi, ita quisque suae praefecturae partibus, quae eadem omnibus erat, ex praescripto sapientissimi Regis functi sunt, ut in gubernatione regni, legum iusta aequaque administratione, alijsque rebus, quae ad regendam multitudinem Principisque aetatem formandam pertinebant, munus suum recte implesse uiderentur. His Rex, ne quoquam exorbitare, aut officij sui partes, curiosa priuatarum rerum tractatione praetermittere ausint, quae cuique sint eo in munere partes, quae communia omnibus, sollicita praescriptione inculcauit, literasque dedit, quibus illos in eam dignitatem initiauit, cuius exemplum ex ipso archetypo regio desumtum, quia ad rerum personarumque statum intelligendum nonnihil referre uidetur, hic proferemus. Cum nos, inquit, ab obitu Christophori Principis, fratris nostri desideratissimi, in eam semper curam incubuerimus, ut regni illius nostri Transiluaniae statum, commoda aliqua gubernandi ratione tantisper stabiliremus, donec Princeps illustrissimus, nepos noster carissimus, eius regni heres, ad eam aetatem perueniret, quae idonea tanto muneri obeundo esse possit, certis grauibusque de causis, talem tandem moderandae illius prouinciae formam eligendam instituendamque duximus, quae communi omnium saluti emolumento dignitatique Principis sit ornamento. Cum autem unius hominis consilium et moderatio, in tali potissimum genere administrationis, raro perfecta esse solent, fieri autem non posse uidentur ut omnes consiliarij conti-

Trium uiris Praesidibus Transiluania gubernanda committitur.

Stephani Regis ad Transiluanos litterae, quibus Praesides creat.

nue assidueque in aula principali praesto semper adsint habitentque, et alioqui sententiarum uarietas, confusionem pariat, nisi qui plena auctoritate praesint colligantque et concludant sententias: ideo nos curae huic et gubernandae reipublicae rebusque omnibus rite administrandis Alexandrum Kendium, Volfgangum Kovaciocium et Ladislaum Somborium praesides, summa cum auctoritate praeficimus, hisce legibus eorum imperium stabilire decreuimus. Ac primum eos aequabili iure, eodem loco, condicione, praerogatiua et auctoritate, in hac muneris procuratione constituimus, idque ratum esse, ac uim sententiae obtinere uolumus, quod ab ijs in tractandis decernendisque rebus et negocijs publicis, cum animorum sufragiorumque suorum consensione deliberatum statutumque erit. Locus deliberationi et consilio, in aula Principis Albae Juliae ex communi eorum iudicio deligatur, in quam singulis diebus, statis horis, nisi quid impediat, conueniant, et negocijs ipsis dent operam. Partes autem cancellarij erunt, ut res omnes siue priuatorum siue publicas, quae in consultationem uenerint, alijs proponat, ordine distinguat, explicet, epistolas in senatu aperiat et legat; notarium habeat, qui capita responsionum, item senatusconsulta omnia ibidem consignet, atque iuxta eadem responsa det supplicantibus. Literas omnes in senatu recitari iubeat, quas, simulatque approbatae fuerint, subscripto de more Principis nomine, claudat et obsignet. Si qui e reliquorum senatorum numero forte uocentur ad aulam, uel sponte ueniant, ijs eundi in senatum copia detur, sententiae illorum exquirantur, ita tamen ut rei cuiusque determinatio, penes tres tantum ipsos semper maneat. Et haec sit ordinariarum consultati-

onum ratio. Si uero ardua quaepiam res et inusitata, cuius difficilis uideatur exitus, aut anceps, aut dubius ingruat, ea ad congressum omnium senatorum reijciatur, qui de ea literis edocti uocatique statim conueniant, et cum ijs qui aderunt, in cummune consulant. In conuentibus etiam regni, qui pro utilitate necessitateque publica agentur: deinde in iudicijs et alijs necessarijs congressibus, ijdem senatores loci ipsius auctoritatem, cum ipsis praesidibus tueantur, et sententias dicant, quas tandem, uti dictum est, praesides ipsi definiant ac edant. Postquam omnes in senatum conuenerint, cancellarius de re, quae tractanda occurrerit, uerba ad eos faciat, qualis ea sit, quidue ab eis exposcat, ostendat, ac ad id fere sermonem dirigat, quod illis persuasum cupiat. Tum deinde re cognita, senatores ordine sententias dicant, hos praesides colligant, conferantque inter se, ac suo tantum ipsorum examini et iudicio subijciant, et quam ex eis concordibus ipsi uotis potiorem esse duxerint, eam demum pronunciet unus pro tribus Alexander Kendi. Si quae uero eorum animos in partes distraxerit, eam suppressa in praesentia prolatione sententiae suspendant, ac rursum alio tempore productam in mediumtamdiu ruminent ac discutiant, donec conciliatis reductisque in unum sententijs ad finem rei deueniant, et decretum conficiant. Dissentientibus autem inter se quandoque opinionibus ac suffragijs ipsorum praesidum; duorum consensu, necquidquam reclamante tertio, res terminetur: nisi commune sit inter omnes discidium aut res sit magnae et ancipitis deliberationis, quo in casu, pro rei ipsius decisione, ad nos statim recurratur. Maximae autem quaeque res et grauissimae uel domi orti fuerint, uel foris accesserint, nobis primo

quoque tempore perscribantur, ut quid de ijs consilij capiendum sit, tempestiue dispicere possimus. Omnes autem status regni et ordines, hoc est cunctos cuiuscumque dignitatis ac conditionis homines, ciuiles iuxta et militares, quicumque toto illo ditionis nostrae ambitu, intra uel extra Transiluaniam continentur, his praesidibus nostris, eorumque iurisdictioni immediate subijcimus: senatusconsulta omnia postquam publicata fuerint, pro regni consuetudine, statim executioni demandentur, alia quidem alijs, qui in aula ius suum exercent, alia autem a caeteris iurisdictionum praepositis, a quibus omnibus et diligentiam et alacritatem in obeundis eorum muneribus postulamus. In bonorum ad fiscum deuolutorum collationibus antiquam Vaiuodarum illius regni praerogatiuam illis concedimus, ita ut in minoribus praemiorum dispensationibus, quae ad triginta duorum colonorum numerum se extendunt, iudicij sui auctoritatem sequantur, et in utiles ac bene meritos patriae ciues, tuto et libere, sub titulo tamen Principis, huiusmodi beneficia conferant. Caeterum arcium praefecti, et quicumque tandem publico munere aliquo funguntur, hi in uniuersum omnes ex uoluntate et praescripto senatus pendeant, cui integrum semper sit de ijs, id quod optimum uisum fuerit, statuere, leges eis dare, officij eos admonere, et commodiora substituere. In maioribus tamen praefecturis et officijs, ut Varad, Karam-Sebes, et Vyuar, nobis inscijs praefecti loco non moueantur, nec praeficiantur. In aula sexcentis equitibus, quorum maxime et uirtus erit spectata et merita, menstrua stipendia soluantur: idque ijs tantum qui assidue in aula operam Principi nauabunt; alijs autem domi residentibus, necessarijs ta-

men, annuae modo pensiones praestentur. In arcibus et praesidijs, ea tantum equitum peditumque copia seruetur, quae et temporum conditioni,et necessitati conueniant, superflui autem sumptus omnes inprimis tollantur. Senatoribus reliquis antiqua et usitata salaria quotannis pendantur. Quia autem summa aerarij,ac rei pecuniariae cura est habenda, non minus de ea quoque solliciti summus ; ac proinde hanc tanti momenti prouinciam generoso Joanni Sigir, cuius fidem, industriam et sedulitatem pluribus in rebus experti iam sumus, detulimus.Qui in hoc maxime operam studiumque suum nobis probabit, si honesta quaque et commoda ratione et arte, uectigalia et prouentus promouerit, auxerit, et quo ad eius fieri, ad summum perduxerit, prouentus regni ordinarios et census diuersos colligere, asseruare, et eo quo usus postulauerit, ex sententia senatus conuertere debebit, ministros probos et industrios, quorum opera utetur, sibi adsciscat, ac saepe ipsemet, cum arces ipsas, tum salium cameras, et alia similia loca, ex quibus fructus publici colligantur, statis temporibus circumeat, et perlustret, rationes exigat, et si qui ex praefectis et procuratoribus minus recte officio fuerint functi, eos pro arbitrio praesidum mutare, et omnia in meliorem ordinem redigere possit. Dum in aula fuerit, ad eosdem praesides, omnes uectigalium rationes referat, et ab eis de rebus omnibus informationem petat. Cum autem nos non minor teneat sollicitudo incolumitatis, salutis, uitae, rectaeque institutionis, dignitatis, decorisque aulae illustrissimi Principis nepotis nostri, uolumus, ut qui curae et educationi eius praeerunt, nihil prius habeant, quam ut personam ipsius semper respiciant, mores componant, ac iuuenes etiam ipsos ac adolescentes, quibus cum

frequens consuetudo, et uitae usus illi est, obsequiis illius et ministerijs asuefaciant. Et haec omnia, quia ad magistrum curiae pertinere uidentur, eius praeter priora munus erit; statutis horis ad Principem aulamque uenire, Principem ad studia aut audienda sacra, item uenationes deducere et reducere, diligenter omnia in aula circumspicere, aulicorum mores uitamque moderari, ac omnia curare; ut frequens ipsa aula et conspicua sit, ne qui in ea tumultus oriantur, ne quis honesti, ne quis officij sui limites transiliat; ut omnes singulis diebus, certis statutisque temporibus in aulam conueniant, iussa obseruent et faciant, Principem uel animi causa, uel quam aliam ob rem in publicum prodeuntent, comitentur et deducant, ac quorum id officij erit, ut Principis mensam instruant, et dapes ministrent eorum imprimis mundicies, cultus corporis, fides et diligentia appareat. Idem ij quoque qui cubiculo stratisque eius praeficientur, praestare debebunt. Si legatis aliquibus, uel exteris hominibus ex praesidum arbitrio, adeundi salutandique Principis potestas dabitur, idem magister aulae edoctus a praesidibus, prouideat statim atque efficiat, ut omnia tunc cum decore et dignitate fiant, idem hospitibus ipsis et aduenis, pro cuiusque conditione, hospicia aliaque necessaria praeberi iubeat, et idoneis hominibus eorum curam committat, in omnibus autem rebus et muneris sui partibus exequendis ductu et auctoritate ipsorum praesidium niti debebit. Breuiter cum rerum omnium summam, his tribus praesidibus committamus, nihil omnino quacumque in re, inscijs inconsultisque ipsis fieri praestarique uolumus. Quae omnia chirographo nostro sigillique nostri secretioris, quo in rebus Transiluanicis uti-

mur, adiectione testatum firmatumque uolumus. Datum in arce nostra regia Nepolonicensi, sexta die Martij, Anno M. D. LXXXIII. regni nostri septimo.

Paulus Julanus Regis Stephani ad Transyluanos legatus.

Hactenus Diploma regium. Quibus ad hunc modum ordinatis Rex Stephanus, qui non modo auctoritatem, sed etiam imperium iure quodam suo in Transiluania obtinebat, Paulum Julanum, fidum ab epistolis secretis, exquisitaeque doctrinae ac prudentiae uirum, ad Principem regnique ordines, Poloniâ in Transyluaniam ablegat; qui ubi in frequenti conuentu, Regis edictum uoluntatemque luculenta oratione exposuisset, in triumuiros praesides omne constituendae reipublicae et Principis formandi negocium transtulit. Ante uero quam hi à Rege sapientissimo ad gubernandam prouinciam allegerentur, Dionisius Ciaki, Demetrij filius, Stephani Regis ex sorore, ut supra diximus, nepos, uir non minus claris natalibus quam prudentia, heroicaque animi et corporis figura illustris, qui ad gubernandam Principis consobrini sui indolem erat adhibitus, annuo perfunctus officio magistratu se abdicauit. Tametsi autem in eum ratione propinquitatis, tutelaris imperij summa respicere, militarisque ordo non obscura significatione animi propendere uideretur, habita tamen auctoritatis regiae ratione, uicario se magistratu soluit, triumuirisque ipsis rerum administrationem tradidit.

Dionysius Ciaki tutorio magistratu abdicat.

Siccitas maxima inde atrox fames in Vngaria 1585.

Eo triennio quo hi munere functi sunt, praeterquam ab morbo annonaque nihil intestini externique mali Transiluaniam inuasit. Vngariam autem uniuersam ac Transiluaniam quoque non nihil, grauis intolerandaque fames, ac fame truculentior pestis afflixit. Nam etsi regio Vngariae suapte natura copi-

osa ac ferax sit, incolarumque usibus abunde sufficiat, eo tamen anno quo difficultas alimentorum regionem inuasura erat, omnis sementis ob siccam urentemque uerni temporis intemperiem, penitus ab ipsa radice ueluti sidere percussa, in herba exaruit. Totis enim quaternis uernis mensibus ad adultam usque aestatem, quibus diebus sata copiosiore humore prolui desiderant, nulla coelestis aquae copia, tellurem tantum rigauit, quanto hians ac sitibundum agrorum dorsum aspergi potuisset. Inde terra quoque ingeniti humoris indiga, uenas perennium fontium et amnium scatebris destituit. Mox etiam defectus aquarum circa torridos alias amnes et lacus, morbos contagiosos siti pecoribus dedit. Minores fluuios copiosos alias amnes, puluerulento penitus uado, ob aquae penuriam obriguisse uidimus: ac tantisper siccato penitus alueo stetisse, dum post aliquot menses, pluuijs cataractae uenarum implerentur, fontesque soluerentur. Stagnans nuper tellus, caricosisque scatens impedimentis, quam perennibus aquis exundantes fluuij implebant, ita exsicca omnique humore destituta exaruit, ut fibrae algarum, radicesque scirporum, ob ingentem perpetuumque aestum sponte ignem concipientes, olido foetore, multas infra Varadinum Chrysiani Marisianique tractus partes, magno cum omnium stupore impleuerint. Nam et per ea tempora maxime, sed et alias semper, aestas in Vngaria et Transiluania tam intolerandis feruet caloribus, ut non aestas, sed uere ardor dici possit. Qui sane, (quod mirum uideri potest) nec Italiae Thraciaeque aestibus cedit, etiamsi poli depressioris ratione feruentiores esse eae plagae debuerant. Sed illic marini flatus, omnes calores mira temperie mitigant, aestusque

discutiunt: hic uero montibus inclusam planiciem, ubi aestas inflammauit; nec frigentes aurae, nec maris spiramenta refocillare possunt. Itaque illic longior aestas sed temperata: hic breuior simul et ardentior. Accedit solium aestiuorum prolixitas, quae aestum diutius urit accenditque in nostris regionibus. Contra uero quum Italiae dies aestiui paucioribus horis perficiantur, tempus illis deficit ad calores acrius uehementiusque inflammandos. Sicut autem aestas ardore incredibili, ita hiems in Vngaria rigore est plane intolerabili; in quo Germania iterum temperatior est, quae poli sublimioris ratione frigidior esse debuerat. Germania enim uites suas, ad Renum fluuium praesertim, non inhumat hieme: in Vngaria alte obrutae, uix prae algore restibiles perdurant. Illic Renus uix XV. annorum spatio semel glacie obducitur, ut oneraria plaustra dorso transmittat: noster autem Danubius, illo tum uiolentior, tum uastior, singulis paene triennijs gelu coalescit. Nec agros tantum, sed et oppida pagosque Vngariae coelestis aestus calamitas, illo anno inuaserat. Vulgares etenim casae, canna stipulisque uestitae, siue ob domesticarum alitum excrementa tectis incisa, quae concipiendo igni habilia dicuntur esse, siue alias ob causas solari calore inflammatae, uasto incendio opida uicosque affecerunt. Siccitatem ueris, inopia frugum, omnisque pabuli calamitas, quod necesse fuerat fieri, excepit. Est Vngariae populis rustica res bene culta et fructuosa, pecuaria satis ampla; quippe ingenita telluris ubertas, colonorum laboribus quam sufficienter respondet. Campi sunt spisso compactoque solo sationique idonei, quos octoni, denique boues, et fortissima aratra perfringunt, uber solum, prata uirentia,

riui perennes, frequentes fontes; in summa, tota tellus diligentiae et laboris materia, uitaeque humanae penu. Sed interim multae sunt teredines, multa impedimenta, quae miseram plebem suis bonis frui non patiuntur. Inueterauit mos in Vngariae populis, damnosus quidem reipublicae sed usu diuturno peruulgatus, ut annuo usu agrorum coloni contenti, uix in annum sequentem recondere quicquam in animum inducunt, fiducia uberis fertilisque soli freti, quod eos uix unquam uictu, solitaque annona destituere creditur. Quapropter cum uix adhuc in herba uerna seges est, congestam superioris anni annonam aut uili precio frumentarijs extrudunt, aut in alios usus temere prodigunt. Vnde fit ut si exspectata seges eos deluserit, aut uel grandine, siccitate, uel alijs cladibus herbescens sementis perierit, mira protinus inopia rei frumentariae agricolae conflictentur, ac tum demum animaduertant se spem praesenti detrimento male praeposuisse. Jam et hoc plane iniquum est, sed usu receptum, ut nobilitas in plebe dominatrix, bonorum suorum non raro decoctrix, ne luxuriei asuetae fomenta desint, miserae plebis annonam, quos uelut ad hastam empta mancipia habent, in praedam suam conuertant, illorumque fame suam ingluuiem expleant. Quae ratio rem augendi patricijs istis nostratibus, ita in morem uertit, ut si quis ex plebe contra hanc rapacitatem mutiat, uti maiestatis reus, aut fraudem capitalem ausus, continuo ad poenam rapiatur. Ita isti suorum sudoribus turgidi, praeclusis horreis compressaque annona, famem populo, in tanta omnium rerum tempestate indicebant; aut graui aere, ne plane ad restim redigerentur, non sua bona illis uenum exponebant. Jam et propolae, insti-

Cur in Vngaria tam repenti na fames orta.

toresque, sordidum hominum genus, qui suas merces pluris quam rempublicam faciunt, nullo adhibito inspectore, annonam, quam poterant, flagellabant maxime; foedaque auaritia, non iam familias tantum, sed oppida et pagos suffocabant. Proinde non ad eam normam, quae par erat, sed ad rationem suae auaritiae demensum expendentes, iniqua aestimatione multitudini uenales panes in macello distrahebant. Vnde fiebat, ut annona per se grauis, illorum iniquitate, quibus uel anima uenalis erat, si licitatorem inueniret, plane intolerabiliter excrescebat. Praeter hoc uero, militari rapacitate quoque, non exiguus miserae plebis uictus exhauriebatur, dum illi per cohortes et manipulos in pagos dispersi in Vngaria Christianis subdita, agrestes non expilabant modo, sed plane deglubebant. Quae militum licentia, ita bello iuxta ac pace in consuetudinem recepta est, ut stipendiorum suorum defectum ea rapacitate soliti sint explere, militiae quoque ducibus ad tam perditum latrocinium sponte conniuentibus. His alijsque calamitatibus exhausta ante diem misera plebes, intoleranda subito fame oppressa est. Vidimus scirporum, uluarumque radices, corilorum iulos, aliaque dictu audituque indigna, e paludibus frondibusque promiscue legi, in pastillos tundi pinsi, esitari, sordida alia inauditaque in cibos assumi. Cum hoc modo per totam Vngariam annona ingrauata esset, ut iam plane fame, non tantum caritate laboraretur: haec Transiluania ueluti triarium quoddam subsidium, toto eo tempore, Vngaricae inopiae non exiguo fuit adiumento. Hi enim triumuiri, tamquam aediles prouidentissimi, cum rem frumentariam ad summam caritatem adductam esse uidis-

sent, ne qua pars miserae plebis ad mendicitatem aliaque obscoeniora redigeretur, certa excogitata ratione, frequens rerum uenalium forum opidatum instituerunt, laxataque annona, magna aequabilitate frumentum uenum exponendum curauerunt. Propolis, qui duplo uenderent, quam emerent annonam, poena irrogata, sesquitertia lucri portio illis permissa. In ea difficultate non sola tantum Transiluania malo leuata est, sed tota penitus Vngaria incendium annonae eius prouinciae subsidio non nihil exstinxit. Ex Vngaria circumdanubiana et Tibiscana, quae Turcarum ditioni paret, totis bigis quadrigisque ac ueterinis ad frumentum coëmendum accurrebatur, in unam Transiluaniam, uti commune salutis asylum finitimi quique se conuerterant : nec spes eos destituebat, omnes enim inde refecti, commeatuque onusti redibant, adiecta cautione iure iurando firmata, se id quidquid esset annonae, in suam solius, non Turcarum quorum tyrannidi essent insinuati, penuriam sustentandam, domos reportaturos. Hanc uictus inopiam uertente anno, nec opinata consecuta est rei frumentariae uilitas. Nam ubi succedentis anni ubertas laetusque prouentus, agricolarum animos multa spe impleuisset, subito illa tempestas, quae paulo ante omnem regionem defatigauerat, ita desaeuijt, ut Varadini, quod oppidum Vngariae Transiluaniaeque ad Chrysium amnem intercedit, octoni frumenti modij, quae una gradarij equi iusta uehes est, e quindenis florenis, sex fere dierum interuallo, in ternos descenderint. Hunc in modum cauponum frumentariorum fraus et auaricia, qui ab aedilibus nulla se lege patiebantur coërceri, quin annonam impune excandefacerent, sponte comminuta est: diuinaque be-

nignitas, incendio alimoniae tam subito e medio profligato, miserae plebi e tanto malo tandem respiranti, moderatiorem uictum indulsit. Exantlatam e famis acerbitate regionem, sequenti anno, qui erat eius seculi LXXXVI. omnisque frumenti uberrimus ueniebat, longe calamitosior clades excepit.

Pestis grauissima in Vngaria 1586.

Nam ueluti parum esset superioris anni inediâ enectum esse populum, pestilentia, quam ciborum insalubritas fecerat, commune summis, infimisque malum, misere insuper omnia lacerare coepit. Nunquam autem per Vngariam, nisi maxima cum mortalium strage pestis grassatur : siue ob angusta sordidaque uulgi habitacula, quae luem facile concipiunt, nec respirationem admittunt : siue ob aestatis uehementiam plenam torridi intolerandique aestus, qui malum multa accessione auget : seu, quod fidei quam proximum est, ob temere conceptam deque triuio sumptam opinionem, qua uulgus fascinatum, omnem uel propulsandae uel euitandae contagionis rationem aspernatur,*) oscitanteque nimium superstitione clamitat: non posse quemquam saeuiente pestilentia, quantumuis maturum in salubriora loca quaerat receptum, fati uiam inexorabilem euitare. Quo se cumque quis uertat, quantumuis peregre concedat, in siluarum latibula se abscondat, pesti peraeque atque alijs morbis, ubi fatalis hora aduenerit, nullam fore uiam non inuiam. Frustra fatis humanaeque sorti quemquam obluctari. Hac supina securitate freti, opinioneque imbuti, susque deque habendum putant, quid

Vulgi crassa superstitio.

*) Szamosközy jegyzete a bécsi cod. 189. lapján : non posse pestem ullo modo euitare, atque ad hanc insaniam augendam sacrificuli plebei, in ijs, que rationis et naturae sunt, rudissimi, frigidam, quam poterant suffendebant ac plerosque domi fatum opperiri nullamque cautionem adhiberi docebant. Itaque oscitante .....

cuique contingat, religioque est suadere, peste correptos, ne latius mali uis serpat, e medio esse ablegandos. Si qui e prudentioribus salutis captandae gratia secedunt,eos uulgus uulgare ueluti superstitioso timore delyros, stuporis protinus insimulat, Oresteque insaniores iudicat. Quamobrem hac capti persuasione, notos pariter et ignotos ipsi nullo discrimine adeunt, tabo fluentia membra, uenenosa ulcera, uirulentos quoslibet abscessus confidenter contrectant; et ne quid sibi ad summam supinitatem reliqui faciant, idem gurgustium cum ijs qui peste contabuerunt inhabitant; eundemque spiritum alternis spirant, quos sane ne salus quidem ipsa seruare in tanta ad perniciem procliuitate possit. Ita dum officiosae humanitati imprudentes uacant, pestiferum uirus ipsi inspirant, suoque sibi, quod aiunt, iumento, malum datâ operâ accersunt. Et cum ita uis serpentis per omnia morbi regionem inuasisset, quia humanis auxilijs leuari non poterat, nullus fuit in Vngaria pagus, nullum oppidum, quod ingenti incolarum non affectum fuerit strage. Nam ministerijs inuicem ac contactu aegrorum uulgatis uelut in pecora morbis, summi pariter ac imi contagione trahebantur. Qua quidem in miseria miserrimum et illud est, quod plebem animi coecam ac speciosa ueri religione correptam, ea medicamenta deficiunt, quae alijs in regionibus simili in casu non desunt. Medicorum siquidem ingens penuria. Vix unus et alter uel mediocri doctrina praeditus, in uniuerso Vngariae regno reperitur, ad quem si non pro certa salute, saltem pro sola spe, quae afflictorum maximum solatium est, confugi possit. Anus dumtaxat Circes ueneficia edoctae, uel fabri ueterinariam medicinam professi, ac stolidi quique

chirurgi, fomenta potionesque moribundis ministrant, quae enecent potius quam sanent. Sic affectam, sic debilitatam fame regionem, derepente tam insanabilis usque quaque pernicies inuasit, ut nulla luctus expers domus, nullus pagus, nullum oppidum, quod ingenti funerum strage non fuerit cumulatum. Erat autem ea hiems, quae pestem praecessit, tristi acerboque gelu rigida. Danubius fluminaque alia uasta, glacie ingenti constricta, mox uer tepore subito dissolutum, aestasque obsecuta torridis uaporibus supra modum feruida. Ita siue intemperies coeli, raptim mutatione in contrarium facta, humana corpora fame iam antea macerata corruperit, siue alia quaepiam causa luem induxerit, magna sane mortalium strage hic annus fuit contaminatus. Sed autumnus per se semper grauis et morbidus, maiori colophone stragem auxit. Non funeribus tumulandis sacrae aedes, non aedibus sacris annexae areae satis erant, a fanis in profanum solum, extra urbes sepulturae abdicabantur. Tenera maxime aetas, et iuuentus, spes generis, obnoxia maxime, uti semper ferali calamitati erant. Qui incidebant in morbum, pestiferos tumores, in axillis circaque inguina percipiebant, uixque diem tertium superabant. Pestis reliquiae in morbos perniciales, quartanaeque maxime rigores euadebant. Prodigia eo procedenteque anno fama increbuere plurima. Infans in regione Bihariensi ad Varadinum, sine manibus natus, biceps uitulus ad Belinies oppidum. Pullus equinus mas idem feminaque editus, qui postea in quadrigis Michaëlis Varday unius e proceribus in Vngaria, pro ostento habitus est. Fertur praeter haec, nec illo nec priore anno, lupos uulturesque uisos, siue ferali malo perterriti sese in auia

magisque salutaria abdiderint, seu alia qua de causa e medio recesserint. His superstitione imbutum uulgus abijciebat, Luciferi quoque seu Veneris luminosum sidus coelo euanuisse. Sed id legitima sui epycicli conuersione factum esse constabat: nam ne ille nocturnus aut matutinus esse posset, ob non magnam eius a sole digressionem fiebat: quod maxime contingit fieri circa solstitium aestiuum, ob dierum prolixitatem noctiumque contractam breuitatem. Hoc praeter Venerem et Mercurio usu quandoque uenire solet. Praeter alios summae nobilitatis uiros, patriaeque lumina, quos haec pestis confecit, Gabrielem quoque Batorium, Stephani Regis ex fratre nepotem una cum lectissima coniuge Georgij Bebeki filia, una eademque dies ambos exstinxit. Cum uix ille primos iuuentutis annos ingressus, forma uiribusque corporis atque animi, generosae indolis illustria ederet specimina: haec e clarissima Bebekorum familia orta, in bonorumque omnium paternorum hereditatem, ex liberalitate Joannis secundi adoptata frustra genus Bebecorum paene intermortuum resuscitatura sperabatur. Peruagata est haec pestis, omnes paene orbis terrarum partes, diuersis tamen temporibus. Nam ab oriente erumpens Constantinopolim usque peruenit, triennio ante, quam Christiani orbis prouincias attingeret.

Gabriel Batori moritur.

Sub id tempus, quo dira lues Constantinopolim lacerabat, celebrata est solennis illa, et ad omnem posteritatem memorabilis circumcisio Mehemedis, filij Muradis Imperatoris. Inuitati sunt ex uniuerso orbe summi quique Principes Christiani iuxta et profani, quibus cum Imperatori uel foederis uel uicinitatis uel amicitiae iure, ulla necessitudo intercedebat, ad honestandam circumcisionem, qua inter Mahumeta-

Solennis circumcisio Mehemedis filij Muradis Imperatoris.

norum priuatos ritus, nulla solennior, splendidiorque apparatu solet festiuitas instrui. Durauit solennitas totis LV diebus, ab exitu Mensis Maij, ad Julij usque initia. Datum est singulis diebus epulum numerosae cuiuscumque religionis, sectae, ordinis multitudini. Ludi uarij generis editi, equestres, pedestres, curules: armati, inermes, luctatores, athletae, pantomimi, histriones, alijque omnis generis ludiones, quibus Turcae abundant, ad oblectandum uulgus conquisiti. Multi se morti inferisque ob incolumitatem Imperatoris eiusque filij deuouentes, praecipites se se uel in altum mare, uel ex abrupto in planum dederunt, perditioneque nil profutura, uitam et salutem illis imprecati sunt. Alij, quod frequens spectaculum fuit, insolenti admodum barbaroque ludicro, immanibus uulneribus corpus conscindentes, traiecto uel per latera, uel femora, aliasque corporis partes, gladio, claua, enseque quolibet alio praeacuto, tripudium exercebant. Alij cristas auium, gruumque pennas, frontis aut temporum sauciatae cuti inserentes, totis diebus pro ostento inter confertos obambulabant. Alij iniecto uertici uel uolae manus lenti incendij fomite, membra ustulabant, nec prius ignem reijciebant, quam alimentum absumptum in cineres resolueretur. Aderant funambuli, gladiatores, pugiles, petauristae, chironomi, ferarum ad lusus cicuratarum productores, grallatores, praestigiatores, personati, pyrrhicharij, idque genus ludiones innumeri, qui singulis diebus suae quisque artis lusus edebant. Munera Regum et Principum ad eam solennitatem inuitatorum, haec fuisse accepimus.

Munera Christianorum Principum quibus solennitas circumcisionis honestata est.

Rudolphus Caesar Christianorum Principum uertex misit sex ingentes cantharos, argenteos quidem

Rudolphi Caesaris.

ipsos, sed auro perfusos, exquisiti operis et artificij. Tum uero bina gutturnia cum totidem malluuijs, argentea omnia et inaurata. Tria item horologia, qua tintinnabulorum sonitu horarum spacia ad certa interualla dimetiebantur, eorum unum maius, duo altera minora fuerunt. Polubrum quoque fuit argenteum, iustae magnitudinis, cuius ad umbiculum rupes exstabat argentea, eleganti artificio caelata, auroque incrustata. Liburnica item argentea ferebatur, omnibus armamentis non solum nauticis, sed et bellicis ad speciem duntaxat instructa. In ea nautae et remiges argentei uisebantur; dum uero horologium in liburnicae uiscere introrsus suis circulis gyrisque horarum tempora personabat, eodem simul tempore remigia soluebantur, uela expandebantur, buccinae sonum edebant. Ipse nauclerus pro puppi sedens, ac nauigaturo similis, liburnicam mobilibus tam remis quam remigibus impellere uidebatur. Haec dum fierent uectores armati, praelia inter se tam diu miscebant, quam horologij orbes uersatiles, multiplici serie inter se ad illa mouenda consentientes conquiescerent. Missum est insuper monile unionibus candentibus lapidibusque ornatissimum. Et aliud monilis instar muliebre ornamentum, quod collo appenditur, preciosissimis gemmis adornatum singularique opere atque artificio factum. Stephani Regis Poloniae munera fuerunt, sex fasces pellium preciosarum quas Martianas uocant, singuli fasces, qui in aequales manipulos colligantur, iusta taxatione, millenis quandoque aureis aestimantur. Quadragenas pelles unus fascis continet. Misit praeter ea per Hieronymum Filipozki legatum, duos fratres germanos Tartarici Imperatoris Mehemedis, quorum nomina Kazi et Feti. Fuerunt

Regis Poloniae.

hi Deuletis, id est Felicis, Tartarorum Regis filij, praeter hos tertium quoque Mehemedem filium idem Deulet habuit. Is maior natu, senem parentem ab imperio deijciens, regnum ad se nefarie transtulit, fratresque suos germanos Kazim et Fetim e medio tollere decreuit. Qui se crudelitate fratris subtracturi, ad Stephanum Regem Poloniae fugerant. Hos cum Mehemed Tartarus, missis subinde nuncijs reddi sibi postularet, Rex neglecta Tartari petitione, tandem Imperatori Turcarum dono misit, qui etiam eos sibi dedi cupiebat. Mehemede Tartaro postea cum duobus filijs iussu Muradis per Osmanem Basam necato, quod in Persas expeditionem suscipere iussus neglexissset, primum Islam Mehemedis interfecti filius, postea eo defuncto, hic Kazi, fratri in imperio Tartarico ex indulgentia Muradis successit, qui tandem Sinaniano bello magnis cladibus Vngariam afflixit. Idemque Kazi fratrem Fetim rebellionem coeptare ausum, simulatae reconciliationis fraude, anno huius seculi XCIIX interficiendum curauit. Venetorum munera, Duce Nicolao Pontano, Legato Jacobo Soranzio, haec fuerunt: Nouem crateres eximij operiis, totidem paterae ad Italicum morem caelatae, binae hydriae mediocri forma, quattuor candelabra, totidem amphorae Italici operis et formae, duae pelues insignes. Omnia haec ex argento formata, auroque superinducta. Quattuor insuper horologia, per aereos circulos, rolarum tinnitu, horarum spacia distinguentia, inaurata. Praeter haec panni auro argentoque intertexti, una cum alijs diuersi generis et coloris, holosericeis pannis, Attalicis uarieque florulentis. Galliae Regis Henrici Valesij donarium, una ingens machina fuit, uix quattuor baiulorum succollantium patiens.

Venetorum.

Galliae Regis

Ea uiginti quatuor horologia introrsus continebat, diuersae magnitudinis. Alia enim maiora, claro, largoque sonitu nolas pulsabant, alia minora exiles tinnitus edebant, mediocria medium inter summum et imum sonabant. Proinde ubi destinatarum horarum extrema appetebant, laxatis circulis suas quaeque horologia nolas certis ictibus ad symphoniam ita pulsabant, ut musicae harmoniae concentus, miro quodam tenore inde promanare audiretur. Transiluani Principis Sigismundi munera, per Ladislaum Zalancium e primore Nobilitate magni consilij uirum missa erant,decem phialae argenteae eximiae,auro illustratae, operculis in se coëuntibus,quae ad usum bipartito diuidi poterant, amphitheta uocantur, eo quod utrolibet fundo substituas, consistunt. Eae phialae argenteis florum lemniscis, animaliumque simulacris a uertice prominentibus illustratae erant, in quibus materia cum arte certabat. Super haec erant duodecim patinae escariae, argenteae. Duo item malluuia grandi pondere, binae pelues, binae itidem lagenae, capacioris formae, quaterna candelabra. Et haec quidem omnia argentea, partim natiuo colore candentia, partim auro superne inducto flauentia. Transalpinae Valachiae Princeps, cui nomen Mihne, haec misit: undecim amphoras argenteas, Turcici operis et formae, totidem pateras, insuper Attalicos pannos, holosericaque texta artificiosi operis preciosaeque materiae, et ea quidem uarij generis et coloris, misit autem ex singulis speciebus textorum, nouena integra uolumina, quae pecias uocant, tracto ex barbaro Italorum sermone uocabulo. Moldauiae Princeps Jancula, his donarijs eam solennitatem honestauit. Misit sex pocula argentea, florum imaginibus apprime exornata, eximij

Transiluani

Transalpini Vaiuodae.

Moldaui.

operis. Nouem item alia pocula Italico more operculis instructa. Totidem phialas duplices, atque in se plicatiles, quae cum aequaliter diuiduntur, pars altera alteri promiscue substitui potest, paris capacitatis. Tres cantharos inauratos. Cisternam praeterea ex argento ad fabre factam, cum canaliculis alijsque ornamentis cum primis spectabilem. Ragusinae Reipublicae munera: nouem argenteae amphorae, Turcica forma elaboratae, totidem paterae, bina horologia inaurata. Quinque integra uolumina sericei panni punicei coloris, totidem candelae rarae magnitudinis, ex candente cera conflatae, bracteolisque aureis incrustatae. Quattor uolumina holoserici panni, quorum bina auro, altera argento intertexto, multum decoris precijque acquirebant. Praeterea sericei panni, Attalicae texturae, omnis coloris, omnisque generis. Persarum Regis Muhamedis cognomento Hodabendis, haec fuerant munera: Lapides preciosi et uniones loculo argenteo inclusi. Quattuor aulaea holosericea, aureis filis intertexta, antiquo opere, politissimaque arte facta. Fasciculus cristarum nigrarum preciosissimarum, ex ardearum uerticibus euulsarum, quod genus hodie Regum Principumque gestamen est, kolchiagh nostri uocant. Tartarus Rex Mehemed haec misit: Sex fasces (cimer, uulgus apellat) pellium sabellinarum. Totidem pallia ex ijsdem pellibus confecta, nullo superinducta panno, quae nudas subas nostri uocitant. Martianarum pellium quinque fasces, totidem pallia nuda, ex eiusdem generis pellibus consarcinata, uirorum gestamen, mastrucas Sardorum uerbo dixeris. Sex item pelliceas pallas, nobilium feminarum indumenta, ex muris Pontici albis pellibus, duplici serie contextas, auersis introrsus,

Ragusinorum.

Persae.

Cirri ardearum sen Gruis Balsaricae.

Tartari.

Perymet gerezna.

aduersisque foras pilis spectabiles. Duodecim insuper dentes piscium magni ponderis, laeuore, candoreque imprimis notabiles, qui in ansas uasorum ensium, altosque usus adhiberi solent. Viginti praeterea pueros Christianos, rapinis belloque acquisitos. Mehemedi uero Muradis Imperatoris filio, misit quinque fasces pellium sabellinarum nobilissimarum; quae maioris precij solent esse, quam panni sericei aureis filis contexti. Vix pro duobus aureûm millibus una toga illis pellibus suffulciri potest. Misit item totidem mastrucas, ex eiusdem generis pellibus factas, palliorum in morem laxas et spaciosas. Quinque fasces insuper Martianarum pellium, quae sabellinis et precio et colore multum cedunt. Martes enim, cuius ea pellis est, flauet magis quam nigrat. Sabellus contra. Huic nigricia et splendor pilorum, canicie rara argentatus, multum auget precium: in marte, diluta fuluo fuscedo expetitur. Addidit his totidem pelliceas subas, ex Martianis pellibus confectas. Decem item pueros, rapinis acquisita mancipia. Africani Regis, qui in Fessa et Maroco dominatur, munera fuerunt. Arcula una, e murice seu conchilijs, quibus uniones innascuntur elaborata: in ea spherulae consertae filis, quibus in annumerandis precibus, superstitionibus deuincti Turcae utuntur. Spherulae autem eae, margaritae fuerunt candentes, preciosissimae. Bina aulaea, quibus parietes insternuntur, aurato opere insignia. Quatuor alia aulaea holoserica, domorum peristromata, florum arborumque simulacris mirifice ornata. Capistrum, cui fraena subnectuntur, bullis aureis, lapidibusque preciosis insigniter exculta. Antilena, qua pectus equorum obcingitur, aurati operis et luculenter gemmata. Fasciculus cristarum, e cirris ar-

Regis Fessae et Marocci.

dearum nigrarum compactus gemmisque insigniter adornatus, qui in delicatiorum Regum et Principum tiaras adhiberi solet. Phalerae a pectoribus equorum generosorum manipuli instar dependentes e cauda hippopotami Niliaci animalis in eum usum paratae, bonciok nostri uocant, Turcarum, a quibus ad nos ipsa res uenit, uerbo. Bina insuper pedulia, quae stapedes uocantur, ab ephippio dependere solita, quibus uectores, quo stabilius sedeant, pedes inserunt, lapidibus preciosis unionibusque eximie illustrata. Integra uolumina pannorum sericeorum Attalicorum. Quatuor inaures magni ualoris. Multae insuper et grandes margaritae, auro comprehensae. Munerum tam excellentium amplitudini, circumcisionis solemnitas pariter respondit. Non enim sufficiebat dies communi omnium leticiae sed noctes insuper adiungebantur. Et quod mirari quis possit, sine ullo tumultu, in urbe tam uasta, inter tot diuersarum linguarum et morum populos, in tam insolenti et superba Turcarum natione, tota festiuitas tranquille peracta est. Haec Constantinopoli gesta.

Sub idem tempus in Vngaria, non magna clade, nec e re non magna orta, sed ad posteritatem tamen memorabili, Turcae sunt affecti. Nihil in bello tam leue est, ex quo magnarum rerum monumenta non possint suboriri, adeoque ingentium quandoque motuum primordia a leuissimis initijs, uelut exilibus seminibus nascuntur. Vsu receptum est apud nostros pariter et Turcas, qui in finitimis limitaneisque castellis equis merent, ut nihil obstante foederum religione, quae inter summos Imperatores ad certas conditiones icta est, alteri alteros ad singulare certamen prouocent, uirtutisque ostentandae gratia uiritim di-

Memorabilis inter Turcam et Vngarum in duellum prouocatio.

micent. Fit autem eiusmodi prouocatio, nec temere, nec a quolibet. Exercitatissimi milites, et magni inter suos nominis, aleum certaminis subire permittuntur. Ab summo Imperatore uenia dimicandi impetratur. Nec dabitur nisi in re alicuius magni momenti et ardua, quippe quae in ignominiam alterutrius prouocatoris uergere uideatur; quapropter duellum, ducum arbitrio, modo iusta causa intercedat, constituitur. Triplex autem singularis pugnae modus statuitur. Alij enim ad unam tantum hastam aduersarium prouocant. Hi concitatissimis equis inuecti, alter alterum primo eoque unico impetu infesta hasta transfodere nituntur. Alteruter uel laesus, uel traiectus ut sors tulit, pro uicto quiescit. Repetere congressum, uel neutro laeso, minime licet, nisi arbitrorum consensus statuat. Hanc autem dimicandi rationem adolescentiores tyronesque exercere solent: quibus conflictum repetere non permittitur. Veteranis autem et exercitatis, uirtutis et honoris ergo conceditur. Sunt enim, qui tam ad certum scopum hastam colliment, ut si uel frontem, uel os, uel partem quamcumque membrorum aduersarij uoluerint configere, certa plaga destinatas partes feriant. In hoc genere celebres e nostris fuerunt hoc saltem seculo, Ludouicus Pekri, quem Ferdinandus Caesar indicta incognitaque causa necauit: Ladislaus Giulafius ex Vngaria in Transiluaniam ob eiusdem Ferdinandi tyrannidem profugus. Nicolaus Sarmasagius, alijque non pauci, magni nominis et familiae uiri. Fit autem saepe, ut tales uictoria exultantes, caloreque decertandi in audendum plura prouecti, senis plusue minusue hastis per uices confligant, totiesque pugnam repetentes aduersarium deijciant, dum et ipsi fortunam, quae hactenus indulgen-

tem matrem se praestiterat, nouercam experiantur. Alter duelli modus est, cum ad extrema usque uulnera, extremamque defatigationem, crebris utrimque ictibus illatis pariter et acceptis, tenor certaminis procedit. Ubi si uel labore pugnandi fatiscens alter, uel uulneribus succumbens certamini cesserit, aduersarioque herbam porrexerit, uictor quiescet, nec uitam eripere uicto, etiam cum possit, licet. Tertij atrocius decertant, non solum enim de ornamentis militiae et gloria, sed de summa uitae, ambo ferro decernunt, nec uictoria alter, nisi obtruncato altero potitur. Ubi uictor capite et spolijs antagonistae triumphabundus, in castra sua magno militum applausu ingrediatur. Hocque modo certamen alterutrius morte finitur.

Michael Boeri et Ibraim Turca viritim dimicare cupiunt.

Erat Michael Bőri,*) castelli Bakae, quod ab Leua arce non multum distat, uicarius praefectus, uirtute et manu et ui corporis inter Vngaros eius loci longe primus, audaxque et animosus. Hic peraeque fama et uirtutibus militaribus insignem Turcam Ibraim**) agam, ad congrediendum secum pariterque dimicandum prouocauit. Causa prouocationis erat, Turca a Michaële bello captus, et in ergastulis diu habitus, quem Ibraim fide sua interposita, literarum etiam adiuncto testimonio, e uinculo dimitti postulauerat, pretiumque redemptionis certa praestituta die, se redditurum pollicitus fuerat. Michael hominis humanitate fretus, (nam et inter hostes, amicae inimicitiae quandoque intercedunt) mancipium soluit, illique remittit. Cum ad praestitutam diem Turca nec lytrum remisisset, nec ipse redijsset, Michaël cum Ibraime iniuriam agere coepit, desertaeque fidei illum accu-

*) Eredetileg Sori, de kijavitva Bőri, Boeri

**) Ibraim helyett eredetileg Ciafer áll.

sauit. Cui Ibraim renunciauit: Turcam suis precibus emancipatum, potestateque dimissum uita defunctum esse, nondum captiuitatis absoluto termino, proinde nullo se redemtionis precio obligari, cum ille sua morte solutioni se exemerit, capitisque redemptionem irritam fecerit. Michaël fraude animaduersa, (nec enim Turca mortuus, sed peregre ab Ibraime fuerat ablegatus) se non magni facere uilis mancipij iacturam respondit, modo certo constet illum uita defunctum esse. Quapropter, quod testimonio esset, caput defuncti, trunco obscissum, ad se remitteret. Nec enim ignorare, usu militari receptum esse, in moremque iam pridem uertisse, capitis remissi indicio, omnem suspicionem de mortuis mancipijs tolli solere. Cum Ibraim nullam iustam causam tergiuersationi adferret, et iam constaret mancipium Turcam in uiuis esse, Michaël perfidiae illum fraudisque insimulat, literasque ad illum dat, quibus renunciat se singulari certamine*) cum eo congredi uelle, iniuri aeque et fraudis ultorem, si Deus aspirauerit fore. Ibraim honestae apud suos famae miles, inflictum sibi perfidiae crimen non ferens, accipere se conditionem, et quibus acciperet animis, ijsdem se gesturum respondit. Hoc modo cum feroci denunciatione rem uterque nobilitasset perque omnia castella, duelli fama manasset, dies ex compacto ad Bacam Castellum dicta est, qua die de uita pariter et existimatione ad alterutrius usque interitum, ferro ambo decernerent. Ergo Michael impetrata a summis militiae ducibus

*) Valószinüleg Szamosközy jegyzete a bécsi cod. 199. lapján: Pogány Benedek ez üdőben fő kapitán volt Korponában, Sibrik Caspar vicekapitán ugyanott: ez harczon voltak az Ormándi Péter, Nyri György Lévai Nagy Ferencz.

ab ipsoque Rodolpho Caesare uenia, uti liceret in hostem extra ordinem pugnare, honesto ducum ac militum apparatu comitatus, ad diem adfuit. Jam uero antequam ad conflictum procederetur, fama Michaël amicorumque sermonibus acceperat, Ibraimem equo mordaci admodum et feroce pugnam initurum: quippe qui uel non exserente gladium Turca, equum Michaelis infestissimo morsu correptum, una cum sessore humi prostraturus esset, plusque momenti ad pugnandum infesta bestia, quam ipse Ibraim esset allaturus. Hic Michaël existimationi suae tergiuersationem posthabens, ne dedecus militare committere uideretur fraudem illius fraude corrigere statuit. Quapropter nactus modum, quem opportunitas et necessitas pro tempore subministrabat, pellem pantherinam, quae militiae equitum gestamen ornamentumque est, acutissimis clauis e ferro in eum usum conflatis dénso ordine subduxit; eaque stragula tamquam phaleris, equi iugulum armosque uestiuit; eo omnino consilio, ut dum Ibraimis equus infesto morsu aduersarij equi collum appetit, exstantibus acuminibus fauces elidens uulneraretur a morsuque reijceretur, atque ita spe concepta Turca frustraretur. Hoc modo Michaël suo ducumque satellitio ad pugnam instructus et comitatus, ad Bacam suae praefecturae castellum in proxima planicie se in conspectum dedit. Nec Turca ullam moram adueniendi fecit, prouectus ante stationes equo. Cum autem staret utrimque exercitus in procinctu spectans, quasi iamiam consertis manibus proelio prouocatores defuncturi essent, Turca renunciat, sibi iniquum uideri genus armorum Michaëlis, qui equum praeter leges duelli, pelle aculentis clauis hispida instruxerit, cum

in suo equo id genus impedimenti nullum conspiceretur. Proinde ut armis ex aequo pariter exculti ad pugnam accederent, monere, pantherinam pellem ferreis clauis suffultam, quae equum armasset, deponeret; nec alijs armis, quam quibus ipse esset adornatus, in arenam descenderet. Michaël negauit se id facturum, nisi ille quoque mordacem equum clementiore aliquo permutaret. Non enim se certamen cum indomita pecude, sed cum equite suscepisse. Hoc ni uellet facere, se in mora non futurum, quin reiecto uterque equo decretoriam pugnam pedites capesserunt. His ita a Michaële dictis, cum Turca nihilominus pugnam detrectaret, uerborumque insectationibus alter alterum proscinderet, Michaël literas Ibraimis, quibus se discrimen certaminis obiturum sponderat, ad Begum, qui in eodem agmine dux exercitus erat, per fidum satellitem Vngarum remittit, renunciatque: se non esse in mora, nec in culpa, quo minus duello decernatur: Ibraimem friuola tergiuersatione et trepidatione rem corrumpere. Literas eius remisisse, ut agnoscerent uerbis illum quam re ferociorem, plus arrogantia quam factis prolixum esse, prae ignauia non praestare quod tam arroganter promisisset, tantamque uirorum praestantissimorum spem ludificans, inhonesto timore discrimen pugnae subterfugisset. Dum satelles Michaëlis in conferta hostium turba literas ad Begum ferre contendit, Ibraim forte obuius, eas ex nec opinato e manibus militi eripit. Instanti magna uerborum contentione uti redderet, satelliti colaphum impingit. Hic Vngarus iusta ira inflammatus, magno inperterritoque animo gladium stringit in medioque hostium agmine Ibraimem obtruncat. Nec mora ipse quoque a multis in uestigio

opprimitur. Hac re intellecta Michaël ducesque Vngari, stomachum non ferentes, calentibus ad festinatam uindictam omnium animis, toto simul agmine impetum in Turcas faciunt, quos nihil minus quam pugnam exspectantes primo impulsu loco summouent, summotos late fundunt, fusos in fugam conuertunt, fugentium caedibus campos consternunt. Ornamenta militaria omnia, quibus luculenter instructi ad ostentationem uelut intutum pacatumque spectaculum prodierunt, in praedam conuertunt. Hac strage perpetrata, postmodum Murades Imperator Turcarum, graui admodum stomacho Rodolpho Caesari renunciat, perfidia Vngarorum, qui praetextu duelli Turcarum ualidissimam cohortem per fraudem cecidissent, omne foederis initi pactum uiolatum interceptumque esse. Proinde nisi matura uindicta in eos Rodolphus animaduerteret, se iusto bello iniuriam ulturum. Rodolphus Caesar ne quam turbandae Christiani orbis paci ansam dare uideretur, capto Francisco cognomento Magno Bakae castelli praefecto, et Michaele Boeri, alijsque ducibus, quorum instinctu Turcarum cohortes caesae fuerant, partim in uincula conditos, diu in custodia habuit: partim alij solum uertentes, in Transiluaniam profugerunt. In his Sibrikij fratres fuerunt Georgius et Casparus, qui postea magnis honoribus functi, amissorum in Vngaria bonorum detrimentum, cumulatiore fortuna locupletati facile tulerunt.

Turcae caeduntur.

Sub idem tempus, dum haec fierent, ingens Transiluanis negocium facessit Paulus quidam a uico Markháza, unde et cognomen gentilicium asciuit, oriundus. Erat hic ex Vngaria in Transiluaniam profugus, ob siue proditam Turcis, siue negligenter

Pauli Markházy ad Turcas transfugium.

custoditam furtimque captam arcem Aynaczkw, quae in superioris Vngariae finibus Germani Imperatoris imperio tenebatur. Proinde Paulus de supplicio erepturus in Transiluaniam ueluti salutis asilum transfugerat, ubi ob nescio quam uirtutis militaris opinionem, in Batoriorum Principum notitiam insinuatus, ita fortunam suam non minus a uirtute quam patrocinio destitutam promouerat, ut tandem foeminam quandam summo loco ortum, ac locupletem, Sztaniszlai Nisoczki olim uiduam coniugem, nomine Sapphiram, natione Valacham e Transalpina Vajuodarum genere oriundam, uxorem duceret, ijsque connubialibus subsidijs ueluti fulcris ac tibicinibus fractam suam fortunam ita stabiliuerat, ut in Transiluana nobilitate non postremus censeretur.*) Sed ut semper insolentia sui similis est, ita in hoc quoque coniugio, nobiliore sane quam pro fortuna dignitateque huius mariti Paulus ingenium suum minime in potestate habere potuit. Nam quemadmodum ebrij insolentesque milites, equum in quem ob inscitiam et imbecillitatem insilire non possunt, conuicijs uerberibusque obruunt, eoque usque dedolant, donec genua inflectere consuescant, generosam eorum indolem ad uile obsequium detorquentes: ita Paulus citra meritum suum generosam ac splendide natam nactus uxorem, dum illam suae insolentiae tyrannidique obnoxiam facere nititur, ab se abalienauit, morumque asperitate ad tentanda diuortij remedia impulit. Quapropter cum diu mutuis simultatibus, odijsque laborassent, planeque auersissimo inter se essent animo, eo usque ut iam ne uter alterum ferre posset; Chris-

*) Oldalt Bethlen F. kezével a köv. jegyzet : hic recurrendum ad cripta Volfgangi Kovaczoczij.

tophorus Princeps (quem mulier nonnulla cognatione attingere ferebatur) *) coacto sacerdotum conuentu, qui ex more connubialium causarum controuersios cognoscere, iudicareque solent: cum nulla idonea causa adferretur, quae diuortio locum praeberet, praeter insolentiam maleque feriatos mores Pauli, ex sacri senatus consulto, coniugium illud solenni iuramento tactisque utrinque sacramentis semel coalitum firmatumque ratum stabileque pronunciauit: hoc addito, ut secessione ad tempus facta, societate connubialis congressus abstineretur, dum et ille male moratos mores corrigeret, et illa ad praestanda marito officia, facilior obsequentiorque redderetur. Hoc modo Christophorus Princeps patrocinium nobilis foeminae suscipiens, cum eam impotentiae improbitatique Pauli subtraxisset**), ansam patrandae maioris nequitiae, non tamen sciens prudensque Paulo praebuit. Nam ille sibi uxorem immerito indigneque ereptam quiritans, stomachumque non ferens, simulato ad Regem Poloniae itinere, ad quem questum suplicatumque se profecturum mentitus fuerat, superata Transalpina repente ad Danubium constitit, trajiciensque ad Turcas profugit, ubi cum diu Vngaricum nomen et habitum, Christianaeque religionis cultum prae se tulisset, in aula Imperatoris in noticiam purpuratorum, dolis, fraudibus, mendacijs nonnihil se ingessit. Sed maxime ad Sinanis Bassae familiaritatem se applicuit, quem sciebat Transiluanis ipsique Stephano Regi infensum iam pridem esse, adeoque statum suum apud illum promouerat, ut Transiluaniae principa-

*) A zárjel közt levők a bécsi codexben ki vannak huzva.

**) Oldalt Bethlen Farkas kezével a bécsi cod. 204. lapján. Imo inserendum est, ut enitat Markhazij scelus.

tum ambiret, duplumque depensurus tributum, quam quod a Transiluano subministraretur, Imperium prouinciae sibi depoposceret. Exaggerabat immensam uim opum, auri argentique fodinas inexhaustis metallis scaturientes, urbium oppidorumque opulentiam; adeoque Transiluaniam non esse, nisi natiuum omnis generis thesaurorum aerarium. Vnus, inquit, sutor calcearius, aut cerdo Cibiniensis, ei tributo pendendo par esse posset, quantum Vayuoda quotannis in aerarium potentissimi Imperatoris immittit. Inconstantis lubricaeque fidei Batorios, depellendos esse a principatu tam beatae prouinciae, qui ad coeptandam aduersus Imperatorem rebellionem, iam animum pariter et oculos erexissent, binos Transiluaniae patronos agnoscere: Regem Poloniae, cui totis animis adhaererent; et Muradem Caesarem, quem simulata ueneratione, tectaque perfidiae inuolucro animi summissione colerent. His et talibus mendaciorum machinamentis, cum ille uiam sibi ad maiora nequioraque molienda struxisset, Stephanus Poloniae Rex, perfidissimi hominis, binisque transfugijs famosi improbitatem non ferens, obuiam clandestino illius furori pergere statuit, et notitiam, quam apud purpuratos iactantia petulantiaque sua collegerat, largitionum promissorumque arietibus, quae apud barbaros illos plurimum pollent, deijcere prosternereque constituit. Enimuero sicuti canes, ubi in rabiem acti sunt, in notos et domesticos magis quam in alienos saeuiunt: ita transfugae quilibet, ubi se a pietate ad impietatem transtulerunt, in populares suos, nationemque unde nomen et sanguinem traxerunt, longe sunt sceleratiores infestioresque. Neque uero diu tenax stabilisque esse potuit ad-

uersus tam gratiosum et potentem aduersarium Pauli improbitas. In eas enim angustias a Stephano Rege est redactus, ut in uincula a Turcis coniectus, incertus aegerque animi poene de salute desperabundus infelicem uitam traheret. Et cum tandem per Podladoczkium Polonum, uicarium stabuli regij magistrum, quem in Asiam equos mercandi causa ablegauerat Stephanus, Sziauzio Basae penitiorum consiliorum apud Muradem principi, decem millia thalerorum pollicitus fuisset, si Paulum scelerosum transfugam captiuum ad se remitteret, Sziaus Basa ea in re uoti compotem Stephanum Regem se rediturum promisit, si modo ipse quoque Rex, Janculae Vayuodae res, quem Stephanus in potestatem redegerat, restituere in animum induceret. Quorum conuentione et consilio Paulus intellecto, cum iam instanti sollicite Regi tradendus esset, uti imminens periculum subterfugeret, proiecto e capite conculcatoque Vngarico pileo, in uestigio Turcico tegmine caput uestiuit, seque Musulmannum esse et fore professus est, Ibraimi nomine assumpto. Quo subterfugio sicuti se discrimini uitae exemit, (nec enim ex illorum institutis Turcam factum, ad certam necem Christiano reddere mancipareque fas erat) ita sibi spem adipiscendi Transiluaniam prouinciam praecedit. Haud enim cuiquam in dubio erat, Turcarum Imperatorem transfugae cuiquam Turcae, eum principatum minime unquam traditurum. Hoc modo Transiluani e fraudibus tacitisque machinamentis Markhazij se expediuerunt. Is postea ad alias conuersas artes, praefecturam Jeneiensem Varadino uicinam impetrauit, ut qui occultis cuniculis Transyluaniae imperium inuadere non potuerat, ui sceleratisque excursionibus mi-

serae plebis sanguini et rebus immeneret. Quapropter praefecturam ingressus, uicos et uillas Transyluanorum Turcarumque ditioni interiectas, rapinis depopulationibusque uexari coepit, pecuaria abigeorum opera depraedari; plagiarios submittere, qui seruos puerosque clandestino raperent; omnia alia agerent, ferrent, ac quibuscumque tandem modis Transiluaniae finitima infestarent; *deinde limites Transiluane ditionis in dubium uocare, ad Basas clamitare, scribere, Transiluanos extra limites ditionis suae, Turcarum imperio subiectos populos seruitio, impositoque tributo uexare. Opportere illis limites praescribere etc. que mota calumnia magnas postmodum obiecit Transiluano Principi difficultates**). Ob quae latrocinia non diu hic quoque subsistere potuit. Dum enim frequentibus querellis Princeps Sigismundus, Christophori filius, Imperatorem Turcarum de Markházy intemperie fatigat, eiectus praefectura, uix capitis periculum euasit, donec tandem Sinaniano bello, cum nihil sibi reliqui ad summam impietatem mordendique rabiem fecisset, foedus et ignobilis morbo assumptus est.

Pro Zatmaro Rivulum Dominarum Rodolphus Stephano Regi restituit.

Quae dum in hunc modum geruntur, Stephanus Rex Poloniae, ne ambitioso dumtaxat Transiluanici dominatus titulo, regiam suam maiestatem ornare uideretur, ad commoda regni amplificandamque insuper prouinciam, animum adiecit. Zatmarum non tam oppido, multis iam pridem cladibus euerso, quam arce munitissima nobile praesidium, Batoriorum Principum uetus auitumque patrimonium ab antiquo fuit. Id oppidum quia Vngarici Transiluanicique

*) A dült betükkel szedettek Szamosközy által toldattak a bécsi codex 206 lapja szélére.

dominatus confinia stringit, uarijs cladibus, nunc in Transiluanorum, nunc Germanorum potestate fuit, solaque adeo belli fortuna possessionem eius alternauit, ac demum Joanne secundo foedus cum Maximiliano Caesare paciscente Zatmar Vngariae adiecta fuerat. Pace cum Germano constituta, Stephanus ne maiorum

HIBAIGAZITÁS.

A bevezetésben IX-ik lapon 18-ik sor alulról Koncz János h. olv. Koncz József.

MAY 2 8 1928